



Analecta bollandiana

Bollandists





ANALECTA
BOLLANDIANA

TOMUS XIV

EDIDERUNT

CAROLUS DE SMEDT, IOSEPHUS DE BACKER,
FRANCISCUS VAN ORTROY, IOSEPHUS VAN DEN GHEYN,
HIPPOLYTUS DELEHAYE & ALBERTUS PONCELET

PRESBYTERI SOCIETATIS IESU

BRUXELLES

BUREAUX DE LA REVUE :
Société des Bollandistes
14, rue des Ursulines

Société Belge de Librairie
Directeur : OSCAR SCHEPENS
16, rue Treurenberg

1895

DE CODICIBUS HAGIOGRAPHICIS

IOHANNIS GIELEMANS

CANONICI REGULARIS

IN RUBEA VALLE PROPE BRUXELLAS

Inter codices manuscriptos, quos servat Vindobonae bibliotheca privata serenissimi Caesaris austriaci familiaeque caesareae *(Familien-Fideicommiss-Bibliothek)* (1), haud ultimum locum obtinent novem grandia volumina, quae manu sua exaravit Iohannes Gielemans, subprior coenobii canonicorum regularium in Rubea Valle *(Rouge-Cloître)* prope Bruxellas, et in quibus non exiguam monumentorum historicorum copiam acri sane diligentia collegit. His cum saepissime usi essent maiores nostri (2) atque ex iisdem documenta accepissent, quae alibi servata minime sunt, dolebamus utique quod utilissima collectio iamdudum pessum ivisse videbatur. Supererat tamen, casu nescio quo e belgicis terris in Austriam transportata (3). Quam, utpote diu desideratam, cum gaudio pervolvimus, sedulo excussimus et, quantum licebat, cum editis contulimus; quantum, inquam, licebat; in itinere enim versantes et a bibliotheca nostra longe positi, multis libris carebamus, quibus, ut rem ad unguem elimaremus, opus utique erat. Cum tamen operae pretium nos rettulisse putemus, en iam laboris fructus cum lectoribus nostris communicamus; et quoniam Gielemanni codices maxima ex parte in belgicis rebus versantur, in catalogo, quem hic edimus, non sola pro more nostro opera hagiographica recensemus, sed omnia omnino; quo fiet, ut Gielemanniana collectio,

(1) Cfr. *Die Sammlungen der vereinten Familien- und Privat-Bibliothek Sr. M. des Kaisers*, t. I (Wien, 1873), col. v-xxii. — (2) Aut vehementer fallor, aut nullus e decessoribus nostris ipsos Gielemanni codices adhibuit praeter operis nostri antesignanum, Heribertum Rosweydum. Apographa enim ex Gielemanni voluminibus desumpta, quae bene multa vidi tum in nostra, tum in regia Bruxellensi bibliotheca, omnia Rosweydi manu exarata sunt. — (3) Quomodo tum Gielemanni opera, tum ceteri codices ortu belgici, qui in bibliotheca privata Caesaris austriaci iam reperiuntur, illuc devenerint, rescire non potuimus. Nullum enim documentum ea de re neque in ipsa hac bibliotheca, neque in archivis publicis repperimus. In uno quidem Gielemanni codice (9364, tom. I) schedula papyracea sub initio agglutinata est, in qua scriptum legitur : *Novale Sanctorum. Wapen afsnijden;* et reapse a tegumento interiore voluminis avulsa sunt arma seu scutum gentilicium possessoris, quod in altera quadam schedula delineatum erat. Unde forsan conicere sit, haec volumina, antequam in caesareae familiae bibliothecam transirent, in potestate cuiusdam viri nobilis fuisse.

hucusque vix non plane ignota (1), integre recenseatur. Quae collectio cum merito suo non careat atque ingens satis sit, visum est huius descriptionem a catalogo reliquorum codicum bibliothecae privatae Caesaris austriaci secernere et seorsim edere. Antea tamen locus postulare videtur, ut quaedam de Iohanne ipso deque eius scriptis breviter proponamus.

I. DE IOHANNE GIELEMANS.

Iohannes Gielemans — ita siquidem se ipse nominat (2) — conceptis verbis se natum esse asserit anno 1427 (3). Eodem testante novimus ipsius proaviam Margaretam sororem exstitisse *Domni Guilhelmi fundatoris huius domus* (nempe Rubeae Vallis) *et eius primi prioris* (4). Nomen quidem patris aut matris suae non profert Iohannes; multa tamen de reliqua parentela sua tradit, ex quibus constat cognatos suos viros fuisse non ignobiles atque eximia in Deum pietate praestantes.

Neque uspiam docet quo tempore in Rubeae Vallis coenobium se vitae regulari mancipaverit. Cum autem alicubi asserat se anno 1460 suum *Primordiale Rubeae Vallis* primum conscripsisse (5), inde colligere licet ipsum aliquanto iam ante tempore, cum annum ageret circiter vigesimum, vitae regularis tirocinium posuisse. Anno autem 1464 sacerdotio iam initiatus erat (6). Praeter ea paucissima sunt, quae de sua vita in scriptis suis tradidit Iohannes. Quare opportunum ducimus hic loci exscribere quae de ipso refert Gaspar Ofhuys, olim canonicus Rubeae Vallis, in suo *Catalogo fratrum regularium coenobii Rubeae Vallis in Zonia prope Bruxellam* (7). Ita nempe ille (8):

XLVIIIus professus. Frater Iohannes Gielemans.

Frater iste simplex quoad temporalia, sed devotus valde quoad divina, disciplinatus quoad claustralia et religionis opera. Diligentissimus librorum scriptor fuit pro

(1) Pauca quaedam ex iis documentis, quae in *Novali Sanctorum* (cod. 9364) et in *Hagiologio Brabantinorum* (cod. 9363) continentur, recensuerunt Martene et Durand, *Voyage littéraire*, t. I, part. II (1717), p. 205-7. *Historiologium Brabantinorum* (cod. 9365) excussit et ex ipso nonnulla lemmata adnotavit ill. episcopus Antverpiensis Fr. Corn. de Nelis; cuius notae ex codice Bruxellensi 11725-49, pp. 393, 394, editae sunt in *Bulletin et Annales de l'académie d'archéologie de Belgique*, t. III (1846), p. 222-4. — (2) Tum in catalogo fratrum, qui legitur ad calcem *Primordialis Rubeae Vallis* (cod. 9364, t. I, fol. 283bis), cuius partes potiores edemus, tum alibi. Recentiores vero scriptores nomen illud saepe scripserunt: *Giellemans, Gilemans, Gillemans.* — (3) ... *anno Domini Mo.CCCCo.XXVIo. Fuitque anno sequenti natus scriptor huius Primordialis.* Ita Gielemans in *Primordiali* (cod. cit., fol. 269rb). — (4) Haec ex schemate genealogico, quod exaratum est ad calcem eiusdem *Primordialis* (ibid., fol. 282r). — (5) Ibid., fol. 261*bis*rb. — (6) *Anno Domini Mo.CCCo.LXIIIIo. dedicata est domus capituli cum altari...; in quo altari ego scriptor ipso die consecrationis eius primam missam celebravi* (ibid., fol. 267vb). Non liquet utrum haec intellegenda sint de prima missa, quam Iohannes omnino celebraverit, vel de ea, quae in hoc altari prima celebrata sit. — (7) Exstat hic catalogus in codice Bruxellensi bibl. reg., sign. II. 480, fol. 200-273. — (8) Ibid., fol. 223.

*nostra liberaria; ultra viginti * volumina manu propria scripsit* (1); *omnium fere sanctorum sanctarumque Brabantiae vitam inquisivit et scripsit. Multis annis in supprioratu laudabile exemplum fratribus dedit* (2); *a quo semel supportatus in coenobio Septem Fontium supprior saltem ad annum per visitatores patres fuit. Hic primus scriptor fuit de origine huius coenobii; composuit enim „ Primordiale „ per modum dialogi, ex quo plura scripsi in „ Originali „* (3), *in quo sub priore XVI°* *invenies quanta bona hoc coenobium hereditaria ex parte huius patris habet, et quomodo ipsius obitus diu ante mortem suam ei revelatus est, et de tribus pitantiis ab eo hic fundatis, et quomodo Christus in calice suo sub celebrando semel apparuit. Obiit anno Domini M°.CCCC°.LXXXVII° in senectute utique bona, plenus dierum, in supprioratu huius coenobii* (4). * *viginta* cod.

Lectorem remittit Gaspar Ofhuys ad alterum suum opus, nempe ad *Originale coenobii Rubeae Vallis*, in quo prioratus illius historiam per seriem priorum ad sua usque tempora deduxit (5). In isto nempe libello haec de Iohanne Gielemans exhibet sub priore XVI° (6), ut dictum est:

*Anno Domini M°.CCCC°.LXXXVII°. octavo die mai * migravit ad Dominum frater Iohannes Giellemans presbyter professus huius domus. Hic fuit pater devotus, simplex quidem quoad temporalia, sed verus israelita, in quo dolus nullus erat. Multis annis huic coenobio laudabiliter in supprioratu praefuit, vivens in timore Dei semper, diligentissime in omni disciplina noctu dieque cunctos fratres praecedens. Fuit diligens et continuus scriptor librorum pro nostra liberaria; ad omne minus viginti volumina scripsit, quorum septem continent integram postillam magistri Nicholai de Lira. Credo quod numquam sanctus aliquis fuit in Brabantia, quin eius Vitam descripsit. Hic est in cuius calice Christus in specie pueruli a converso Duyc visus est, ut habitum est supra sub XIIII° priore* (7). *Huic patri suppriori per decennium ante mortem suam divinitus annus sui obitus ostensus est. Orando enim Deum semel optavit scire quamdiu * hic adhuc in humanis persisteret. Unde tunc in quadam visione numerus anni praesentis sibi conscriptus ostensus est; quem numerum propria manu in chartula conscripsit, et sex annis ante mortem suam nostro moderno procuratori praedicta oretenus familiariter recitavit. Ab illa ergo hora dictae revelationis seu visionis proposuit legere cottidie certum numerum orationum dominicarum cum totidem numero salutationum angelicarum ad hono-*

* *o. d. m.* add. al. man. in marg.

* *quamquam* cod. ante corr.

(1) Idem nos docet ipse Iohannes in saepe iam laudato *Primordiali* (cod. bibl. priv. Caes. 9364, t. I, fol. 278ᵛᵃ). — (2) *Atque supprior obiit* add. al. man. — (3) De quo nos infra. — (4) *Sepultusque in ambitu nostro* add. al. man. Eundem annum emortualem assignant quotquot de Iohanne scripserunt: eundem adnotavit manus quaedam ferme coaeva ad calcem nonnullorum codicum Gielemanni. Sic v. g. in cod. bibl. priv. Caes. 9363 notatum est in ultimo filio: *Obiit anno 1487, aetatis suae 60ᵒ.* — (5) Legitur hoc opus in laudato codice Bruxellensi II. 480, fol. 1-193. — (6) Ibid., fol. 127ᵛ-8ᵛ. — (7) Ibid., fol. 111-1ᵛ. Totum hunc locum exscripsit Ofhuys ex ipso Gielemanno, qui in suo *Primordiali* eandem visionem candidissime narrat (cod. bibl. priv. Caes. 9364, t. I, fol. 274ᵛ).

rem S. Ursulae et XI milium virginum, ut in hora sui exitus ille sacratus numerus virginum sibi astaret. Dicitur enim communiter, quod, si quis legerit semel in Vita XI milia Pater noster *et totidem* Ave Maria *ad honorem praefatarum sanctarum virginum, sanctae illae virgines Deo placentes legenti adstabunt in hora mortis. Et quia revelationem habuerat de decem annis, quibus elapsis moreretur, cottidie post completorium, ut mihi dictus procurator noster rettulit, ad dictam intentionem legebat orationes suas dominicas cum salutationibus angelicis. Quot autem legebat, mihi relatum non est; sed qui legerit cottidie ter* Pater *et tria* Ave Maria, *in decem annis et XVII diebus dictum sacratum numerum compleret, ut patet calculando. Iste bonus pater primus est qui scripsit de origine huius coenobii, et dicitur* Primordiale Rubeae Vallis, *per modum dialogi senioris et iunioris; ex quo plura hic inserui. Obiit in senectute bona plenus dierum, supprior exsistens usque diem mortis suae, sepultusque in nostro ambitu. Ex parte huius patris supprioris habemus hereditarie circa VI libras grossorum cum dimidia; et super ista bona legavit nobis item frater tres pitantias, in die venerabilis sacramenti, in conceptione B. Mariae et in vigilia Natalis Domini.*

Haec ille.

II. DE OPERIBUS IOHANNIS GIELEMANS.

Quamvis viginti volumina, ut dictum est, manu sua exaraverit Gielemannus, atque novem ea, de quibus hic sermo erit, grandia satis sint, non illo tamen amanuensis munere contentus fuit vir navus. Marte enim proprio opuscula quaedam ipse composuit, ut inter scriptores rerum Brabantinarum locum saltem aliquem ei vindicare possimus. Ex documentis nempe, quae in codicibus suis exscripsit, multa quidem aliis auctoribus tribui debere liquet, sive quia vel Gielemannus, vel ipsa, ut ita dicam, documenta id nos monent, sive quia eadem opuscula in antiquioribus codicibus reperiuntur. Nihilo minus pauca quaedam ab ipso Gielemanno confecta esse manifestum est, ut sunt Vita Karoli Magni (in Hagiologio, t. I, 47°), Vita S. Himelini (ibid., t. II, 45°), Primordiale Rubeae Vallis (in Novali Sanctorum, t. I, 43°), Exordium capellae constructae in Boondale (ibid., 60°), alia. Sed et non pauca sunt, in quibus iure dubites utrum ab aliis, an potius a Gielemanno conscripta sint; cuiusmodi sunt Vita S. Idae Boloniensis (in Hagiologio, t. I, 34°), Vita S. Christinae Teneramundensis (ibid., t. II, 61°), Passio Margaretulae Lovaniensis (ibid., 67°), etc., etc. Insuper Vitis Sanctorum quamplurimis prologos de suo penu praefixit; quae quidem exordia id habent inter se commune, ut prorsus vulgaria sint et solis sententiis paraeneticis tota contineantur. Quare in sequentibus prima illorum verba exscripsisse satis superque erit.

In universum autem ita se nobis exhibet Gielemanni sive scribentis, sive transcribentis opera, ut diligentiam patefaciat eximiam, at simul credulitatem non utique minorem. Diligentiam dico; voluminibus enim et magnis et multis implendis ita naviter etiam senex institit, ut postquam die 28 martii anni 1486 in regem Romanorum coronatus esset archidux Maximilianus, coronationis huiusce narrationem in partes nostras brevi postea delatam in Historiologio suo exscripserit

(fol. 152-1..) atque ante diem 8 maii anni sequentis, qua die mortuus est, reliquum illud volumen, seu grandia folia 127. lepida manu perfecerit. Neque minorem eius diligentiam admireris in conquirendis undique, improbo sane strenuoque labore, monumentis quibuslibet, quae ad historiam ecclesiasticam Brabantiae spectarent, ut vere dici possit vix quemquam illis temporibus tam amplam de rebus patriis documento[illegible] segetem comparasse.

Sed ut erat percupidus monumentorum huiusmodi investigator, ita avido nimis nimisque credulo animo recepit, quaecumque inveniebat. Haec ceteroqui erat ipsius indoles, quam iam significavit Gaspar Ofhuys, ubi Iohannem dixit virum *simplicem quoad temporalia, sed verum israelitam, in quo dolus nullus erat.* Non ultimum utique credulitatis illius exemplum praebet narratio visionis illius, cuius supra meminit idem Ofhuys, cum nempe, Iohanne missam celebrante et vermiculum viridem in calice suo conspiciente, visum est fratri cuidam converso non vermiculi, sed pueruli Iesu effigiem in calice iacere; cui mirae visioni ultro ac statim fidem adhibuit Iohannes. Sed et alias fabulas in quam plurimis opusculis ab eodem collectis ipsi in excutiendis codicibus offendimus, offendet et lector in nonnullis inter documenta inedita, quae mox appendicis instar edemus (1). In hac siquidem appendice noluimus ea sola opuscula tradere, quae historicae veritatis speciem praeberent; ex aliis enim, utut fabulosis, tum quaedam accipi solent minime fabulosa, tum utilitas accrescere potest illarum cognitioni legendarum, quae in rebus hagiographicis partem obtinent non minimam.

His de Gielemanni laboribus universe praemissis, de singulis eiusdem collectionibus singillatim iam pauca quaedam addenda sunt.

I. Harum prima, si tempus spectes, ab auctore SANCTILOGIUM dicta est, et tomos complectitur quattuor. Ex quibus secundus anno 1471, tertius anno 1479 perfectus est; de primo autem et quarto nihil habemus proferre, cum desint ultima utriusque folia, in quibus notae temporis conscriptae erant. De opere suo praefatus est ipse Gielemannus in longa verbosaque illa parte prooemii sui, quam inscripsit : *De causis huius operis et intentione ipsius collectoris.* Ex qua eos tantum locos, qui aliquid nos docent, subicimus. Incipit nempe : *Usuardus religiosus sacerdos et monachus attendens...;* et paulo post pergit : *Cum ergo praefati B. Hieronymus presbyter venerabilesque Beda et Usuardus in suis martyrologiis non quidem omnium, sed pro omnibus dumtaxat illorum sanctorum nomina posuerint, qui suis locis tunc in amplissima erant festivitate, evenit ut multorum sanctorum famosorum apud nos... nulla penitus fieret memoria. Contigit etiam ut quorundam sanctorum festa in hac provincia et apud nos aliis serventur diebus, quam in prae-*

(1) Primo quidem nobis in animo erat appendicem illam in ipsis *Analectis* excudere. Postea tamen, quoniam ampla nimis visa est, atque multa supersunt sive a nobis sive ab aliis amicis viris prelo parata, quibus, inviti licet, in *Analectis* locum facere nondum potuimus, boni consuluimus appendicem Gielemannianam in separatum quendam libellum seponere. Quem libellum propediem edemus sub titulo : *Anecdota ex codicibus Iohannis Gielemans.*

tactis martyrologiis sunt annotata; et quoad hoc, praesertim quoad festa in populo non celebria, quaelibet provincia in suo sensu et usu traducto abundat. Unde quidam nostris temporibus, pia, ut praesumitur, devotione incitatus, praefatorum virorum sequester, sed illorum quodammodo mediaster, legendas sanctorum depingere curavit longiore stilo quam B. Hieronymus, et ampliore numero quam venerabilis Beda, sed et latiore tractatu quam dominus Usuardus, saltem aliquorum. Cuius et ego pedissequus, ex fraterna pluries admonitione instigatus, plurima de eius labore collegi et in nostro " Sanctilogio " redegi; quod sic nominare complacuit pro eo quod in ipso non solum martyrum, sed et aliorum diversorum sanctorum vitae recitentur. Martyrologium quippe tantummodo se extendit proprie ad martyres, Sanctilogium vero ad sanctos omnes. Fuit autem intentionis meae, ut mihi et meis saltem ad minus unius sancti aut sanctae quolibet die anni historiam seu legendam conquirerem atque colligerem...

Infra auctorem illum, cuius se pedissequum dicit Iohannes, nominat noster: *Non autem arroganter aut ex spiritu levitatis quis me putet hunc laborem assumpsisse, sed maiorum, ut dignum erat, parui decretis; et si quid praeter ea, quae ex praefati auctoris opere, qui fuit de ordine Cisterciensium, excepi, in hoc opere auctum vel mutatum est, hoc ex aliis antiquorum patrum probatis scriptis diligenti indagine inquirere curavi. Praefatus autem compilator, ex cuius opusculis plures legendas collegi, illas maxime, quarum in fine habetur iste versiculus :* Sit nomen Domini benedictum in saecula *etc., fuit venerabilis domnus Aegidius de Dammis, quondam prior in Dunis et postmodum confessor apud Spermaelgen, ordinis Cisterciensis prope Brugis; ubi et diem obiit. Qui per ea, quae collegit, nobis suae diligentiae monumenta reliquit.*

Sciendum est autem postremo quod lectorem sive scriptorem eorum, quae sequuntur, admonitum esse volo, quatenus non moveat eum neque scandalizet, si reperiat hic aliquos non canonizatos... Ut autem tollatur omnis scrupulus dubietatis, notum sit universis consuluisse me de hac materia notabiles valde ac discretos et circumspectos viros quattuor, videlicet unum venerabilem et religiosum episcopum, et alium incomparabilis paene prudentiae virum, de quo communis fama referebat quod suo tempore Brabantia meliorem non habuit in omni sapientia perfectum, dum advixit; alii vero duo exstitere sacrae theologiae professores de ordine Carmelitarum. Hi omnes in hoc concordaverunt, quod bene licet huiusmodi sanctos non canonizatos recoli ac venerari, dummodo de ipsis reperiantur veridica scripta et virtuosa miracula de gestis eorum imitatione dignis et virtute plenis in libris seu chartis, posterorum agnitioni destinata. Tutius tamen praefati sancti privatim quam publice venerandi et colendi sunt propter prohibitionem concilii Basiliensis. Cui generosus vir dominus Iohannes de Bergis dicitur interfuisse, legatus constitutus ad dominum Eugenium papam a domino Philippo duce Brabantiae huius nominis secundo; qui hanc prohibitionem mihi notificavit, sed utrum illa per posterius concilium Florentinum fuerit revocata, ignoravit. EXPLICIT PROLOGUS.

Porro in hac collectione plus mille Vitas Sanctorum reperire est, ex quibus nonnullae sat prolixae, pleraeque breves sunt aut brevissimae. Pauci nempe exscripti

sunt textus integri; contra multa comparent compendia documentorum, quae alibi exstant integra; sed neque ita paucae offenduntur notitiae ex Libro Pontificali, ex Vitis Patrum Aegyptiorum, ex Beda, ex Adone, ex Patribus ecclesiasticis vel aliunde desumptae. Quarum notitiarum nonnullas in appendice edemus, quae vel de sanctis agunt ignotis, vel de notis narrant nonnulla hactenus non tradita; quae utique fabulam prorsus olent. Ultro siquidem fatendum est collectionem istam sola scriptoris diligentia et numero notitiarum commendari; verum sive scribendi rationem spectes sive res narratas, eandem ad pessimum hagiographiae popularis genus pertinere.

In ceteris autem collectionibus suis, quamvis non raro in transcribendo documenta vel hinc inde contraxerit vel locos aliquos in ipsis amputaverit Gielemannus, non iam tamen mera compendia, ut fere in Sanctilogio fecit, sed integros plerumque textus exhibuit.

II. Post Sanctilogium nempe eam collectionem exaravit, quam nominari voluit HAGIOLOGIUM BRABANTINORUM. Quod post annum 1476 scribi coeptum est atque ante finem anni 1484 erat perfectum; siquidem tomo I, fol. 210-6ᵛ, exscripta sunt miracula S. Gummari ab anno 1475 ad mensem iulium anni 1476 patrata; sed tomo II, fol. 63, quo loco legitur series episcoporum Leodiensium, ultimum nomen a Gielemanno descriptum est Ludovici de Borbonia, qui die 30 augusti anni 1482 interiit; ab alia autem manu additum est nomen Iohannis de Horn, qui anno 1484 inthronizatus est. Utrique tomo Hagiologii praefixi sunt prolixi satis prologi, ex quibus pauca quaedam proferre iuvabit.

Haec est nempe summa prologi in tomum I : *Dum diversorum sanctorum et sanctarum Vita, sacris recondita voluminibus, omnibus ecclesiis aedificationem pariat, maxime tamen unaquaeque ecclesia in aemulationem sanctitatis excitatur, cum ad opus bonum domesticis suorum sanctorum exemplis instruitur... Quae cum ita sint, operae pretium existimo ad aedificationem Brabantinorum gesta sanctorum et sanctarum ab initio in ipsa terra Brabantiae tamquam in paradiso Dei germinantium..., quae ad meam notitiam pervenire potuerunt, in unum recolligere ac ipsis legenda contradere... Nec me quisquam putet omnium sanctorum Brabantinorum gesta in uno volumine posse coartare, cum sint paene innumerabiles; sed per duo volumina ita distinguentur, ut in primo ponantur illi, qui de genere Karoli Magni sunt nati; in secundo vero illi, qui aliunde sunt propagati ratione praedicta... Hoc autem opus Agiologium Brabantinorum denominare complacuit pro eo quod sermo de sanctis huiusmodi quasi pro subiecto illud vindicet. Verum non solum eorum, qui in Brabantia feliciter nati sunt ac in ea felicius conversati, sed et horum, qui de ipsis sunt propagati, continuando historias in hoc opere collegi...*
Interim credo miraturum nonneminem et patriam Brabantinam, et Karoli Magni genus tam late patuisse, quam aestimavit Gielemannus.

Prologi in tomum II primas dumtaxat sententias exscribimus; reliquae enim mere paraeneticae sunt. Ita nempe Gielemannus : *Dignorum genere, sed digniorum morum probitate ac cunctarum virtutum aggregatione ex prosapia ducum Bra-*

bantiae propagatorum sanctorum utcumque secundum meae parvitatis facultatem gestis expeditis imprimis et enarratis, iam manum apponere ad ceterorum gesta describenda, Deo fautore, curavi, qui in hac terra sunt nati feliciter aut conversati. Plurimos enim, de quorum vita narratio texenda est, etsi ortus plebeios, vitae tamen progressus genere multis nobilibus nobiliores assignavit. Qui quoniam in tam magno sunt numero, ut eorum vitam in primo volumine, ut ibidem dictum est in praefatione, artari non decuerit, iam secundum volumen attingamus.

III. Cum ad calcem Hagiologi sui Vitam B. Christinae de Sancto Trudone, cognomento Mirabilis, descripsisset Gielemannus, notam subiunxit huiusmodi: *Fuit et alia Christina mirabilis... in episcopatu Coloniensi...; de qua nihil hic ad propositum.* Quoniam igitur alterius illius Christinae Vitam in tertia collectione, quae NOVALE SANCTORUM dicitur, invenimus, probabiliter inde colligere possumus, Novale post Hagiologium exaratum esse. Et certe in Novali quaedam scripta sunt de rebus anno 1483 (1) vel etiam 1485 (2) gestis. Ante utrumque Novalis huius tomum leguntur prologi solito etiam longiores; ex quibus iterum, quae non inutilia videntur, hic transferimus.

Prologus nempe in tomum I sic incipit: *Cunctis hominibus sibi post primi casum parentis ad agenda opera fructuosa non sufficientibus, spinas quoque ac tribulos ex agris cordium suorum evellere... non valentibus,... dominus ac redemptor noster Iesus Christus... coepit, aestate succrescente, agrum humani cordis et corporis excolere.* Deinde post multa verba: *Iis, in quos fines saeculorum devenerunt, qui sumus utique nos, summos divina clementia utriusque sexus delegavit sanctos, qui circa nostra tempora in virtutibus et miraculis venustissime floruerunt, Celestinum videlicet papam sanctissimum, institutorem ordinis Celestinorum, atque alios diversos post ipsum; qui quanto nobis tempore viciniores, tanto eorum gesta nos reddant ad audiendum attentiores et ad sequendum ferventiores... Quasi enim diceret nobis peccatoribus illud Hieremiae IIII° Dominus, atque eodem modo Ozeae X°* Novate vobis novale, *ut praemissum est, ita innuit... Siquidem multi cibi in novalibus patrum, ut ait Salomon in Proverbiorum XIII°, innuens per hoc, nisi fallor, multimodam refectionem provenire ex recentioribus eorum gestis virtuosis.*

Quorum opera, ut praetactum est, tanto plus moventia, quanto plus recentia, ut quisque mecum valeat agnoscere agnoscendoque imitari, temporibus istis novissimis... ad laudem ipsius (Dei) laborem assumpsi colligendi gesta huiusmodi sanctorum, qui citra tempora beatissimi Celestini papae praefati, videlicet ab anno Domini M°.CCC°. ac deinceps floruerunt, quaeque ad meam notitiam pervenire potuerunt... Sed nec omnium, qui citra praefata tempora claruerunt, a me virtutes digestae sunt; neque enim de iis, quae non legi, nosse potui, et quod aliis forsitan

(1) In " Exordio miraculorum B. M. V. in parochiali ecclesia de Bullizele " (t. I, fol. 348v); item in " Exordio capellae B. M. de Cruce " (t. II, fol. 250-1). — (2) In " Primordiali Rubeae Vallis " (t. I, fol. 269va) manu prima quaedam scripta sunt de *ultimo vitae anno* Thomae Vessem, qui anno 1485 obiit.

est notum, mihi in vasta solitudine degenti est incognitum. Sed ea quae quoquo modo reperire valui, in hoc volumen inserere curavi; quod, ut videtur, Novale Sanctorum *congruenter poterit appellari sive intitulari. Continentur enim in ipso ac describuntur eorum gesta, qui communem naturam cum omnibus sortientes hominibus, terram corpoream, in ceteris spinas vitiorum germinantem, in se purgare, ut fructus uberiores virtutum proferret, non omiserunt...*

Ex prologo in tomum II vix duas sententias referre habemus. Incipit iste : *Cum fere omnium hominum genus amplissimum ad rerum gestarum cognitiones vehementius aspiret...* Et infra : *Verum quoniam intentio nostra fuit in hoc opusculo congregare illa solum, quae circa nostra tempora citra annum Domini millesimum trecentesimum virtuose gesta sunt, quae quanto de propinquo sonant, tanto animos ardentius ad imitandum incitant, ipsa tamen adeo copiosa exsistunt, quod in uno volumine ligari artarive non possunt; idcirco eadem prosequimur secundum implendo volumen iuxta annos Domini, in quibus eadem novimus contigisse.*

Quamquam autem bis professus est noster se eorum dumtaxat gesta in Novali descripturum, qui post annum 1300 vixerint, nihilominus multo antiquiorum virorum Vitam etiam in illo inseruit, verbi causa S. Sigismundi regis Burgundionum (t. I, fol. 189-7), Girardi de Roussillon (ibid., fol. 187-91), etc.

IV. Quartam demum collectionem ultimo ferme Vitae suae anno (1) comparare coepit strenuus vir iam sexagenarius; quam inscriptam voluit HISTORIOLOGIUM BRABANTINORUM, in quo tum de sacris expeditionibus contra Turcas, quas cruciatas dicant, tum etiam de multis aliis rebus monumenta varia descripsit. De prioribus solummodo meminit Iohannes in brevi satis prologo, qui incipit : *Inter omnes historiographos Veteris ac Novi Testamenti Moyses sanctus obtinet principatum...*, et ex quo haec tantum exscribere operae est pretium : *Sed post creationem mundi quid mirabilius factum est praeter salutiferae crucis mysterium, quam quod modernis temporibus actum est maxime per principes Brabantinos?.... Nam quis regum aut principum posset subigere tot civitates et castella, natura, arte seu ingenio praemunita, sicut nostra beata gens?.... Hinc est quod eorum facta laudabilia generationi venturae recitare gestientes, exordium sumimus a Godefrido de Bullion, qui terram orientis Christi dominio ope christicolarum subiugavit. Initium itaque laudum dux Godefridus occupat, qui Eustatii comitis Bononiensis filius proprioque excelsior genere, ad Karoli Magni spectabat lineam...* Ex hoc itaque prologo atque inde etiam, quod in codice non sola documenta ad Terram Sanctam pertinentia, sed alia multa permixtim reperiuntur, quae cum expeditionibus sacris nihil prorsus habent commune, manifestum est Gielemannum, cum hoc volumen scriberet, historiam dumtaxat Brabantinam voluisse illustrare, non autem repertorium veluti quoddam parare, quod crucis praedicatoribus copiam documentorum utilium praeberet. Monuit siquidem nos vir egregius et amicissimus Dr. G. A. Neumann, professor Universitatis Vindobonensis, haud absimile videri

(1) Vide supra p. 8-9.

Historiologium Gielemanni collectionibus illis, quae nobis in nonnullis codicibus servatae sunt, et in quibus *tractatus de modo praedicandi crucem* et *necessaria praedicatoribus crucis* erant descripta. Atque certe fieri potuit, ut ex tali quadam collectione, — quam ceteroqui non repperimus, — Gielemannus multa ex iis, quae in Historiologio profert, exscripserit; verum, ut diximus, Historiologium ipsum non ob practicum quendam huiusmodi finem, sed tantum in historiae Brabantinae gratiam compositum esse videtur.

Atque haec est tota Iohannis Gielemanni, quam quidem novimus, opera historica; quam iam per singula capita breviter recensituri sumus.

I. SANCTILOGIUM.

VID. SUPRA, p. 9-11.

Codex bibl. privatae Caesaris austriaci 9397 a.

Constat tomis quattuor papyraceis (0m,263 × 0,196), quorum prior continet folia 1-291, alter folia 301-600, tertius folia 601-900, quartus denique folia 901-1128. Praeterea ante singulos reperiuntur folia quaedam insiticia, in quibus descripti sunt indices seu " tabulae ". In tomo I desunt iam folia 292-299; folium 241 a suo loco avulsum est et invenitur nunc ad calcem tomi IV, post folium 1128. In tomo III quaterniones quidam non recto ordine compacti sunt, ita ut sic sese excipiant: fol. 730, 791-840, 731-790, 841 sqq. In tomo IV idem accidit, ut nempe hic sic ordo hodiernus, perversus utique: fol. 901-10, 921-930, 911-920, 931-1029, 1090-1100, 1082-9, 1070-81, 1062-9, 1049-61, 1043-8, 1030-2, 1101-28. Desunt autem post fol. 1128 folia, quae olim exstabant, saltem septuaginta et sex; in indice enim, qui in capite codicis descriptus est, recensita sunt non pauca nomina sanctorum, quorum Vitae post fol. 1128 descriptae erant; summus autem numerus ad nomen S. Everardi appositus est, cuius Vita exarata fuisse indicatur fol. 1204.

Quattuor tomi eadem manu lineis plenis exarati sunt.

Numeri, quibus singula folia discernuntur, ab ipso Gielemanno descripti sunt sicut et indices singulis tomis praefixi (1).

Ad calcem tomi II scriptum est manu prima: *Et sic est finis huius secundae partis Sanctilogii anno Domini 1471, nono kal. augusti, videlicet in vigilia S. Iacobi apostoli, per manus fratris Iohannis Gielemans professi in Rubea Valle. Orate pro eo.* In capite tomi III: *Liber monasterii Rubee Vallis in Zonia iuxta Bruxel-*

(1) Quam pagellam dicimus partem versam alicuius folii, v. g. fol. 2v, haec ad folium sequens, v. g. 3, secundum Gielemannum pertinet. Hic est nempe Gielemanni ordo: 1, 2, 2, 3, 3; ille noster: 1, 1v, 2, 2v, 3. Inde fit ut saepe numeri infra a nobis indicati uno minores sint numeris, qui in indicibus Gielemanni leguntur.

lam. Pro libraria; et ad calcem, item manu prima : *Et sic est finis huius tertiae partis Sanctilogii anno Domini 1479, in crastino Gregorii papae, per manus fratris Iohannis Gielemans professi in Rubea Valle. Orate pro eo.* In initio tomi I post indices conspicitur imago rudi satis manu delineata et coloribus ornata, qua repraesentatur Annuntiatio B. V. Mariae.

In *Tabula alphabetica omnium voluminum librariae* monasterii Rubeae Vallis, quae legitur in codice Vindobonensi bibl. priv. Caes. 9373, recensentur codices Sanctilogii tamquam qui signati fuerint in libraria : *l. 86-89. P.*

Tandem de elencho, qui iam sequitur, quaedam sunt praenotanda.

1) Cum in Sanctilogio sanctorum Vitae nullo certo ordine sese excipiant, — non kalendarum, inquam, non alphabeti, non temporis quo singuli sancti vixerint, — sed in incompositam congeriem sic permixtim collocatae videantur, ut in manibus Gielemanno venerant (1), e re visum est eas secundum ordinem alphabeticum recensere.

2) Uncinis [ ] inclusimus ea, quae explicationis loco addenda putavimus.

3) Parenthesi () signata sunt nomina sanctorum, quorum Vita in foliis deperditis (292-299, 1128-1204) exarata erat; haec nempe ex indicibus accepimus, qui in capite singulorum tomorum exstant.

4) Asterisco * distinximus textus, quorum ultima verba sunt : *Sit nomen Domini benedictum in saecula;* haec nempe formula, teste Gielemanno, docet textus illos ex opere hagiologico Aegidii de Dammis desumptos esse (vide supra, p. 10 med.).

5) Ipsi quidem singulos textus, quantum opus erat, cum editis contulimus; ex qua collatione pauca dumtaxat quaedam hic adnotavimus, ubi nempe id magis necesse videbatur. In ceteris noverit lector in Sanctilogio exhiberi compendium textuum alias notorum, ut quae in Actis Sanctorum Bollandianis, in Libro Pontificali, apud Surium, Ruinartium, vel in libris huiusmodi prorsus usitatis reperiantur.

Prooemium in Sanctilogium (fol. I-VI).

1° Et primo de principalibus persecutionibus, quas pertulit sancta Ecclesia ab initio (fol. I-II).

2° De persecutionibus Ecclesiae per apostatas seu haereticos sibi illatis imperatores (fol. II-II^v).

3° De persecutionibus, quas ab externis tyrannis Ecclesia simul et imperium passae * sunt (fol. II^v-IV). * sic cod. passe.

4° Quomodo gesta sanctorum, praesertim martyrum, sint collecta, et quomodo per illa creverit Ecclesia (fol. IV-V).

5° De causis huius operis et intentione ipsius collectoris (fol. V-VI).

Prima verba huius paragraphi et locos quosdam ex eo selectos vid. supra, p. 9-10.

(1) Inde factum esse opinor, ut eiusdem textus duo diversa compendia vel etiam bis idem compendium in diversis *Sanctilogii* partibus exscripserit Gielemannus.

Tabula legendarum contentarum in hoc volumine primo, alphabetice scripta secundum ordinem nominum sanctorum et sanctarum, de quibus loquuntur (fol. VI^{v}-VIII).

Similis tabula legitur, foliis insiticiis inscripta, in capite reliquorum tomorum, scilicet t. II, fol. I-III^{v}, t. III, fol. I-II^{v}, t. IV, fol. I-III^{v}. Praeterea in tomo I exstat index quidam generalis, nempe:

Tabula alphabetica, per quam quis facillime reperire poterit vitam seu passionem cuiusque sancti aut sanctae in quolibet volumine huius Sanctilogii quadripertiti collectam atque contentam (fol. IX-XVII).

Historia de festivitate omnium sanctorum, 901-2^{v} (1).

Depositio *Aaron* sacerdotis primi, kal. iul., 584^{v}-5. — Passio SS. *Abdon* et Sennes, III kal. aug., 835^{v}-6^{v}. — Vita B. *Abrahae* patriarchae, VII id. oct., 704^{v}-5^{v}. — * Passio SS. decem milium martyrum seu *Achatii* et sociorum eius, X kal. iul., 556^{v}-7. — Vita S. *Adalberti* conf. Egmondensis, de ordine regularium, primi Traiectensium archidiaconi, VII kal. iul., 452^{v}-3^{v}. — Passio S. *Adalberti* ep. [Pragensis], IX kal. mai, 753^{v}-4. — * Vita S. Alardi [immo *Adalhardi* Corbeiensis] ab., kal. iun., 1098-8^{v}. — * Vita S. *Adalheidis* imperatricis, XVII kal. ian., 437-7^{v}. — Vita S. Aleydis [h. e. *Adalheidis* Vilicensis] virg., prid. non. febr., 928^{v}-9^{v}. — *Adilia*, vid. *Odilia*. — Passio S. *Adriani* mart. [Nicomediensis] et aliorum, IIII non. mart., 846^{v}-8^{v} (2); Translatio S. Adriani mart., VI id. sept., 848^{v}-9^{v} (3); Translatio S. Adriani mart. ad Geraldi Montem, VI kal. iun., 1007-7^{v} (4). — * Vita S. *Aegidii* ab., kal. sept., 447^{v}-9^{v}. — Passio S. *Afrae* mart. cum diversis aliis, non. aug., 343-4. — Vita S. *Agapeti* papae, X kal. mai, 383-3^{v}. — * Passio S. *Agapeti* mart. [Praenestini], XV kal. sept., 355^{v}-7. — Passio SS. virg. *Agapis* et Chioniae, III non. apr., 256^{v}-7^{v}; Passio S. Irenis virg., non. apr., 257^{v}-8. — Passio S. *Agathae* virg., non. febr., 88^{v}-90^{v}. — Vita S. *Agathonis* papae, V id. ian., 767^{v}-8. — Vita S. *Agerici* ep. [Virodunensis], kal. dec., 478-8^{v} (5). — *Aggeus* proph., vid. *Oseas*. — Passio S. *Agilolfi* Coloniensis archiep., prid. kal. apr., 961^{v}-2^{v}. — Passio S. *Agnetis* virg. secundum B. Ambrosium, XII kal. febr., 871-3; Translatio S. Agnetis virg. in Traiectum, prid. kal. apr., 1006^{v}-7. — Passio SS. *Agricolae* et Vitalis edita a B. Ambrosio, prid. non. nov., 911-11^{v}. — (*Agricolus* ep. 1133). — Vita S. *Agritii* ep. [Treverensis], id. ian., 967-7^{v}. — Vita S. *Aidani* Lindisfarnensis ep., prid. kal. sept., 991^{v}-3. — Passio S. *Aigulfi* ab. et

(1) Ex Legenda aurea. — (2) Compendium cap. I-IV Vitae ed. *Act. SS.*, Sept. t. III, p. 218-28. — (3) Compendium cap. V ed. ibid., p. 228-30. — (4) Compendium historiae fabulosae, de qua ibid., p. 234 sqq. — (5) Comp. textus ed. in nostro *Catal. Paris.*, t. III, p. 78 sqq.

sociorum eius, iii non. sept., 625-7. — * Passio S. Albini mart. [i. e. *Albani* protomart. Angliae], x kal. iul., 557-7^{v}. — Passio S. *Albani* presb. [mart. Moguntini], xi kal. iul., 804^{v}-5^{v}. — Passio S. *Alberti* carmelitae et conf., vii id. aug., 771^{v}-2 (1). — Vita B. *Alberti* Leodiensis ep., vii kal. dec., 1122^{v}-3. — * Vita S. *Albini* ep. [Andegavensis], 377^{v}-8^{v}. — Vita S. *Aldedrudis* virg., v kal. febr., 481^{v}-2^{v}. — * Vita S. *Aldegundis* virg., iii kal. febr., 437^{v}-8. — Vita S. *Aldhelmi* ep. et conf., viii kal. iun., 990-1. — Passio SS. *Alexandri* [papae], Eventii et Theodoli, v non. mai, 279-80; Passio SS. plurimorum martyrum, iv id. apr., 1094^{v}-5 (2). — Vita S. *Alexandri* Alexandrini ep., iv kal. mart., 592^{v}. — Vita S. *Alexandri* Cptani ep., v kal. sept., 587. — Passio S. *Alexandri* Hierosolymitani ep., xv kal. apr., 590-90^{v}. — Passio SS. *Alexandri* Lugdunensis [et Epipodii], viii kal. mai, 886-6^{v}. — Passio S. *Alexandri* ep. [via Claudia mart.], xi kal. oct., 656^{v}-7. — (*Alexander* ep. et m., 1166). — Passio S. *Alexandri* de legione Thebaeorum, vii kal. sept., 618. — Vita S. *Alexii* conf., xvi kal. aug., 284-5^{v}. — (*Aleydis* sanctimonialis, 1135). — Vita S. *Amandi* ep. [Traiectensis], viii id. febr., 92^{v}-3; Translatio S. Amandi ep., vii kal. nov., 701-1^{v}. — Vita S. *Amantii* ep. [Ruthenensis], prid. non. nov., 415^{v}-6^{v}. — Passio S. *Amaranthi* mart., vii id. nov., 672 (3). — Vita S. *Amati* ab. [Romaricensis], id. sept., 629^{v}-32. — Vita S. *Amati* ep. [Senonensis], xiv kal. nov., 361-2. — * Vita S. *Amatoris* Autissiodorensis ep., kal. mai, 659^{v}. — * Vita S. *Ambrosii* Cantuariensis ep., xvii kal. nov., 665^{v}-6. — Vita S. *Ambrosii* Mediolanensis ep., prid. non. apr., 880^{v}-3. — Vita S. *Amelbergae* virg., vi id. iul., 334-7; Translatio S. Amelbergae virg., vii kal. nov., 1117-7^{v}. — Passio BB. militum *Amici* et Amelii, iv id. oct., 1117^{v}-9. — Vita S. *Ammonis* [Aegyptii in Nitria] et aliorum, vi id. sept., 1095^{v}-6 (4). — Passio S. *Ammonis* cum aliis, xiii kal. ian., 595^{v} (5). — Vita S. *Amoris* presb. [Belisiensis], viii id. oct., 1085^{v}-6. — Vita *Amos* prophetae, prid. kal. apr., 708. — Passio S. *Anacleti* papae, iii id. iul., 1069-9^{v}. — Passio trium puerorum *Ananiae*, Azariae et Misael, xvii kal. ian., 709-9^{v}. — Passio SS. *Ananiae* et Petri, v kal. mart., 967^{v}-9^{v}. — Passio S. *Anastasiae*, viii kal. ian., 254-5^{v}. — Vita S. *Anastasii* papae, v kal. mai, 1068^{v}. — * Passio S. *Anastasii* monachi [Persae] cum aliis septuaginta, xi kal. febr., 569-9^{v}. — Passio S. *Anastasii* mart. [Salonitani], vii id. sept., 619-9^{v}. — Passio SS. mart. *Anatoliae* et Audacis, vii id. iul., 304-5. —

(1) Adnoto ultima verba: *Nuper quoque, anno videlicet M°.CCCC°.LXV°., ut a magistro Guilhelmo de Guidonibus, provinciali Siciliae, informati sumus, in civitate Agrigento mortuum vitae reddidit, veluti mater defuncti eidem narravit.* — (2) Ex Actis S. Alexandri papae. — (3) Ex Gregorio Turon. — (4) Ex Historia Lausiaca, c. 8. — (5) Ex Adone ad h. d.

* Passio S. *Andeoli* subdiac., kal. mai., 557^v-8. — Passio S. *Andochii* et sociorum eius, v id. oct., 1089^v-90. — Vita B. *Andreae* apostoli, prid. kal. dec., 237^v-40^v; Passio eiusdem, die quo supra, 240^v-1^v. — (*Andreas* ep., 1160). — Passio S. *Angeli* carmelitae, III non. mai., 776^v-7^v. — Vita S. *Aniani* Aurelianensis episcopi, xv kal. dec., 534^v. — Passio S. *Aniceti* papae, xv kal. mai., 1068-8^v. — Passio S. *Aniceti* et Fotini fratris eius, IV non. sept., 972^v-4^v. — Passio SS. *Anisani* et Maximae mart., kal. dec., 477-8 (1). — Vita B. *Annae* matris genetricis Dei, VII kal. aug., 834-5^v; Miracula de S. Anna, 1002^v-6^v (2). — Vita S. *Annae* prophetissae, kal. sept., 971^v-2^v. — Vita S. *Annonis* Coloniensis ep., prid. non. dec., 480-80^v. — * Vita S. *Ansberti* Rotomagensis ep., v id. febr., 379^v-81. — * Vita S. *Anselmi* Cantuariensis archiep., XI kal. mai., 378^v-9. — Vita S. *Anstrudis* virg., XVI kal. nov., 749^v (3). — Passio S. *Anteros* papae, III non. ian., 1067. — Vita S. *Anthelmi* Bellicensis ep., VI kal. iul., 1049-53. — Passio S. *Anthimi* Nicomediensis ep. cum sociis, v kal. mai., 591-1^v. — Passio S. *Anthimi* presb. et sociorum eius [Maximi, Bassi...], v id. mai., 812^v-3^v. — Passio S. *Antidii* ep., VII kal. iul., 994^v-6. — Vita S. *Antonii* [Magni] monachi, XVI kal. febr., 185^v-8. — Vita S. *Antonii* [de Padua] conf. de ordine minorum, id. iun., 383^v-4^v; Translatio S. Antonii de ord. min., xv kal. mart., 1097^v-8. — Vita S. *Antonini* mart. [Apameae], IV non. sept., 156-7^v. — * Passio S. *Antonini* Romani mart., XI kal. sept., 573^v (4). — Passio S. *Apollinaris* ep. [Ravennatis], x kal. aug., 583^v. — Passio S. *Apolloniae* Alexandrinae virg., v id. febr., 174-4^v (5). — Passio S. *Apolloniae* virg. Romanae, v id. febr., 925^v-6^v. — Vita S. *Apollonii* senatoris, XIV kal. mai, 594^v. — Historia de divisione *apostolorum*, id. iul., 545^v-7^v. — Vita S. *Apri* Tullensis ep., XVII kal. sept. [immo octobris], 629^v; Vita S. Apri Leucorum ep., XVII kal. oct., 1064-5. — Passio S. *Aproniani*, IV non. febr., 534^v-5 (6). — Vita SS. coniugum *Aquilae* et Priscillae, VIII id. iul., 371^v-2. — Vita S. *Arbogasti* ep. [Argentoratensis] de ordine regularium, XII kal. aug., 945^v. — Vita S. *Arnulfi* Mettensis ep., xv kal. aug., 746^v. — Vita S. *Arnulfi* Suessionensis ep., XVIII kal. sept., 614-5^v. — Passio S. *Arnulfi* ep. [Turonensis] et mart. xv kal. aug., 475^v-6. — Vita venerabilis *Arnulfi* conversi Villariensis, prid. kal. iul., 1105-6. — Vita S. Ursatii conf. [immo *Arsacii* Nicomediensis], XVIII kal. sept., 1098. — * Vita *Arsenii* ab., XIV kal. aug., 384^v-5. — (*Arthemius* mart. cum suis, 1164). —

(1) Cfr. nostrum *Catal. Brux.*, t. I, p. 129-32. — (2) Initium plane consonat cum textu ed. ad calcem Legendae aureae in edit. Coloniensi an. 1483, fol. cccv. — (3). Praenotatum est in cod. : *Primordia huius virginis habentur in legenda Balduini martyris fratris sui, fol. 916.* — (4) Ex Actis SS. Eusebii, Pontiani et soc. — (5) Vide nostra *Anecdota*, I. 1. — (6) Ex Actis S. Marcelli papae.

Passio S. *Asclae* mart., x kal. febr., 225-6. — * Passio S. *Asterii* senatoris, v non. mart., 577 (1). — Vita S. *Athanasii* Alexandrini ep., vi non. mai., 807^{v}-9. — * Vita S. *Attalae* ab., v id. mart., 641. — * Vita S. *Audoeni* ep., ix kal. sept., 469-70^{v}. — Vita S. *Audomari* ep., v id. sept., 316^{v}-8^{v}. — Vita S. *Augustini* Anglorum apostoli, vii kal. ian., 818-9. — Vita gloriosi patris nostri sanctissimi *Augustini* Hipponensis episcopi, v kal. sept., 683^{v}-96^{v} (2); Translatio sanctissimi Augustini ep., v id. oct., 313^{v}-5 (3).— * Vita S. *Aureae* virg. [abb. Parisiis], iv non. oct., 438^{v}-9. — * Passio S. *Aurelii* mart. [Cordubensis] cum sua coniuge [Nathalia], vi kal. sept., 567-8; Passio S. Aurelii et uxoris eius cum aliis [Cordubensibus], vi kal. sept., 666. — * Vita S. Austrobergae [immo *Austrebertae]*, iv id. febr., 551^{v}-2^{v}. — Vita S. *Austregisili* ep., xiii kal. iun., 1095^{v}. — Vita S. *Autberti* Cameracensis ep., qui tenetur a nobis prid. id. dec., 754-7.

Passio S. *Babylae* ep., ix kal. febr., 434^{v}-5^{v}. — Vita S. *Baini* ep., xii kal. iul., 782^{v}-3 (4). — Passio S. *Balduini* levitae [Laudunensis], vi id. ian., 915^{v}-7^{v}. — Passio S. *Barbarae* virg., prid. non. dec., 157^{v}-61^{v}; (Translatio Barbarae, 1147). — Passio S. *Barnabae* apost., iii id. iun., 822-3. — Vita S. *Barsanofii* ab., id. sept., 1029^{v}-31 (5). — Passio S. *Bartholomaei* apost., ix kal. sept., 94-6; (Bartholomaei Translatio una 1141; altera 1168). — Passio SS. *Basilidis,* Cirini, Naboris et Nazarii, prid. id. iun., 900-900^{v}. — Passio SS. *Basilidis,* Tripodis et Mandalis, iv id. iun., 305^{v}-6^{v}. — * Vita S. *Basilii* Caesariensis ep., xviii kal. iul., 446-6^{v}. — * Vita S. *Basilissae* virg. [sponsae Iuliani], v id. ian. cum aliis, 657-7^{v}. — Passio S. *Basillae* virg. [Romanae], xiii kal. iun., 82-2^{v}. — *(Basinus* rex et mart., 1169). — Vita S. *Basoli* ab., id. oct., 715-5^{v}. — * Vita S. *Bathildis* reginae, iii kal. febr., 439-9^{v}. — Passio S. *Baudelii* mart., xiii kal. iun., 410^{v}; * Passio S. Baudelii mart., xiii kal. iun., 558 (6).—Vita S. *Bavonis* conf., kal. oct., 177^{v}-9; Translatio S. Bavonis conf., vi id. mai, 1121^{v}-2 (7). — Vita venerabilis *Beatricis* priorissae [Thenensis], quae recolitur iv kal. aug., 1084^{v}-5 (8). — Vita S. *Beati* [Vindocinensis], vii id. mai, 492-3. — Vita venerabilis *Bedae* presb., vi kal. iun., 102^{v}-3. — Vita S. *Beggae* viduae, xvi kal. ian., 1109^{v}-11. — Passio

(1) Ex Eusebio. — (2) Auctore Philippo de Harvengt, ed. Migne, *P. L.*, t. CCIII, col. 1205-30. Om. prologus; pro cap. 32 (col. 1229) congestae sunt laudes ab aliis patribus de Augustino prolatae; ad calcem subiecta sunt duo miracula. — (3) Migne, l. c., col. 1230-5. Sequuntur nonnulla miracula. — (4) Ex chronico Fontanellensi. — (5) Compendium Vitae ed. *Catal., Paris.*, t. I, p. 525-35. — (6) Add. *Quaere adhuc de hoc sancto, si placet, supra in hoc volumine folio 411°.* — (7) Compendium textus nuper ed. in *MG.*, Scr. t. XV, p. 597-8 (secunda translatio). — (8) Compendium textus de quo in *Anal. Boll.*, t. III, p. 168.

S. *Benedictae* virg., viii id. oct., 275^{v}-6. — Vita S. *Benedicti* ab. [Casinensis], xii kal. apr., 878-80^{r}; Translatio S. Benedicti ab., v id. iul., 586. — Vita S. *Benedicti* II papae, viii id. mai, 768-8^{v}. — Passio S. *Benigni* Divionensis mart., iv kal. iul., 545-5^{v}; * Passio S. Benigni [Divion.] presb., kal. nov., 558^{v}-9. — Vita S. *Beregisi* ab. [Andaginensis] de ordine regularium, vi non. oct., 1127^{v}-8. — Vita S. *Berlendis* virg., iii non. febr. vel iii kal. nov., 453^{v}-4^{v}; Elevatio S. Berlendis virg., v id. sept., 1107^{v}-8 (1); (Berlendis Translatio 1143). — Vita S. *Bernardi* ab. [Claravallensis], xiii kal. sept., 897^{v}-900. — Vita S. *Bernardi* de Menthone, vii id. iun., 710^{r}-2. — Vita S. *Bernardini* conf. [Senensis], xiii kal. iun., 535^{v}-9. — Vita S. *Bernwardi* ep. [Hildeshemiensis], xii kal. dec., 980^{r}-1^{v}. — Vita S. *Bertini* ab., non. sept., 192^{r}-3^{v}. — Vita S. *Bertuini* ep., xviii kal. dec., 675-6. — * Vita S. *Bertulfi* conf., non. febr., 381-1^{v}; Vita S. Bertulfi conf., non. febr., 751^{v}. — Vita S. *Bibiani* ep., v kal. sept., 619^{v}-20^{r}. — Vita S. *Bilihildis* matronae [ducissae Franciae orientalis], v kal. dec., 1019^{v}-21^{v}. — Vita S. *Birini* ep. et conf., iii non. dec., 993 (2).—* Passio S. *Blandinae* matronae, v kal. iun., 552^{v}-3. — Passio S. *Blasii* ep., iii non. febr., 87-8^{v}. — Vita B. *Bonaventurae* ep. et cardinalis, iv id. iul., 951^{v}-2; Vita S. Bonaventurae [cardin.], iv id. iul., 979^{v}-80. — Passio S. *Boni* presb. et aliorum, kal. aug., 841-1^{v} (3). — * Passio S. *Bonifatii* diac. et sociorum eius [Liberati ab. Carthaginiensis etc...], xvi kal. sept., 473^{v}-4. — Vita S. *Bonifatii* Lausanensis ep., prid. kal. mart., 1101.— Passio S. *Bonifatii* ep. [Moguntini] et soc. eius, non. iun., 205^{v}-7^{v}. — Vita S. *Bonifatii* papae [quinti], viii kal. nov., 655-5^{v}.— Passio S. *Bonifatii* mart. [Romani], prid. id. mai., 370-1. — Passio S. *Bonifatii* cognomento Silvestri, viii id. ian., 749^{v}-51 (4). — * Vita S. *Boniti* ep., xvii kal. febr., 640^{v}-1. — Vita S. *Botulfi* ab. et conf., xv kal. nov., 960-1. — Vita S. *Brendani* ab., non. iul., 1072^{v}-3. — Vita S. *Brictii* ep. [Turonensis], id. nov., 287^{v}-8^{v}.—Vita S. *Brigidae* virg. [Hibernae], prid. kal. febr., 98-9. — * Vita S. *Brunonis* ep. [Coloniensis], v id. nov., 506^{v}-7^{v}. — Vita S. Pharae [h. e. *Burgundofarae*] virg., vii id. dec., 480^{v}-1.

Passio S. *Caeciliae* virg., x kal. dec., 146^{v}-9^{v}. — Vita S. *Caelestini* primi papae, vii id. apr., 1071^{v}. — * Passio S. *Caesarii* diac., kal. nov., 473-3^{v}. — (*Calepodius* presb. et mart., 1163). — Passio B. *Calixti* papae, prid. id. oct., 857^{v}-8. — Passio SS. mart. *Caloceri* et Parthenii, xiv kal. iun., 494-5. — Passio S. *Canionis* ep. et mart., xii kal. iun., 497-8. — Passio SS. mart. *Cantii,* Cantiani et Cantianillae, prid. kal.

(1) Ex Vitae num. 14 sqq. — (2) Ex Beda, *Hist. eccl.*, III. 7. — (3) Ex Actis S. Stephani I papae. — (4) Vid. nostra *Anecdota*, I. 2.

33° De sacri eius corporis translatione et miraculis depost contingentibus (fol. 103-3v).

Ibid., p. 46-8, num. 17-29. Desinit in medio num. 29: *ab omni periculo certissime liberabitur.*

34° Prooemium in vitam, translationem et elevationem S. Landoaldi archipresbyteri et sociorum eius (fol. 104-5v).

Compendium documentorum quae sequuntur, scilicet 36°-40°.

35° Denotatio defunctionis, translationis et elevationis annorum Domini horum sanctorum (fol. 105v).

Sex breves adnotationes, de quibus *Act. SS.*, Mart. t. III, p. 35, num. 5. Ultima dumtaxat quadam attentione digna est: *Indulgentiae datae praedicto coenobio* (scil. S. Bavonis Gandavensis) *in festivitate S. Landoaldi et aliorum ad instantiam Iohannis abbatis secundi a domino Clemente papa VI° anno XIIIc XL V°.*

36° Vita S. Landoaldi archiepresbyteri, quam scripsit Nodgerus venerabilis Leodiensis episcopus, anno Domini DCCCC.LXXX°, imperante Ottone post mortem patris anno VIII°, episcopatus vero suo anno IX°, ad Womarum reverendum patrem et fratres Gandenses transmissa (fol. 106-7).

Ed. *MG.*, Scr. t. XV, p. 602-3, et, adhibito hoc cod., *Act. SS.*, l. c., p. 35-7; num. 1-7. Om. prol.

(1) Ad calcem add.: *prius convicanei Brabantinorum, postea vero Lotharingorum.*

37° Elevatio corporis S. Landoaldi presbyteri de loco sepulturae (fol. 107-8).

MG., l. c., p. 603-4; *Act. SS.*, l. c., p. 37-8, num. 8-11.

38° Elevatio corporis S. Landradae virginis (fol. 108-8^v).

MG., p. 604-5; *Act. SS.*, p. 38, num. 12.

39° Adventus SS. Landoaldi, Amantii et Landradae virginis in Gandavum (fol. 108^v-10).

Recensio altera ed., adhibito hoc cod., *Act. SS.*, l. c., p. 41-2, num. 11-21.

40° Elevatio corporis S. Landoaldi Gandavi (fol. 110-10^v).

Recensio altera ed. apud Surium, t. III (1618), p. 209-10.

41° Passio S. Iulianae virginis et martyris, cuius corpus est in Bruxella civitate Brabantiae (fol. 110^v-3^v).

Act. SS., Febr. t. II, p. 873-7; praemisit Gielemannus prologum, qui inc.: *Aggredior iam, Deo mihi subsidium ministrante, manum movere pariter et calamum...*

42° Vita S. Eucherii Aurelianensis episcopi et confessoris, qui in Hasbania exsulans ibidem cum S. Trudone quiescit (fol. 113^v-5^v).

Ed. adhibito hoc cod., ibid., Febr. t. III, p. 217-9. Om. prol. alter: *Quoniam utile...* (vid. ibid., p. 217, not. *a*).

43° Sermo in translatione SS. confessorum Eucherii pontificis et Trudonis sacerdotis (fol. 116-7).

Surius, t. XI (1618), p. 515-6.

44° Passio S. Foillani pontificis quiescentis in ecclesia collegiata oppidi Fossensis, quod olim erat principis Brabantensis (fol. 117-8^v).

Ed. ex hoc cod. *Act. SS. Belgii*, t. III, p. 16-9. Praemissus est prologus ineditus, qui inc.: *Descriptiones vitae atque occasus sanctorum...*

45° Vita S. Himelini presbyteri et confessoris apud Wessenake in Brabantia quiescentis (fol. 118^v-9^v).

Auctore Gielemanno. Ed. ex hoc cod. *Act. SS.*, Mart. t. II, p. 47.

46° Vita et Passio S. Dympnae virginis apud Geldam in Brabantia quiescentis (fol. 119^v-25).

Ibid., Mai t. III, p. 479-86. Codex Rubeae Vallis, de quo ibid., p. 477, num. 3, diversus est a nostro.

47° De his quae contigerunt sanctorum corporibus post mortem (fol. 125-6^v).

Ibid., p. 486-8; desinit versus finem num. 7: *potenter eripuit.*

48° Magistri Iacobi de Vitriaco Vita venerabilis ancillae Christi Mariae de Oegnies (fol. 126^v-46).

Ibid., Iun. t. IV, p. 636-66.

49° Sequuntur quaedam gesta eiusdem Deo dilectae Mariae de Villambroc, alias dictae de Oegnies, quae omissa sunt in Vita ipsius, nec habentur in gestis magistri Iacobi de Vitriaco, ubi tamen de ea recitatur; quae postmodum sup pleta et compilata sunt a quodam religioso regulari canonico Cantipratensi (fol. 146-9v).

Ibid., p. 666-76. Desunt in codice cap. I, II, XV; XVI, XVIII-XXIII seu num. 2, 3, 15-18, 20-27.

50° Vita venerabilis Odonis presbyteri et praedicatoris nuper in Brabantia conversantis (fol. 149v-51).

Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux., t. II, p. 227-9.

51° Passio S. Mononis martyris in territorio Leodiensi quiescentis (fol. 151-1v).

Act. SS., Oct. t. VIII, p. 367-8. Om. prologus *Quotiescumque;* pro quo alium scripsit Gielemannus, qui inc. : *Quoniam quidem de Brabantinis stilus volvitur...*

52°. Vita et Passio S. Halenae virginis ac martyris apud Forestum iuxta Bruxellam quiescentis (fol. 152-5v).

Ibid., Iun. t. III, p. 888-95.

53° Vita domni Bonifatii civis Bruxellensis, postea episcopi Lausanensis (fol. 156-9v).

Ed. ex hoc cod. ibid., Febr. t. III, p. 155-9.

54° Vita sacrae virginis Wivinae, quondam abbatissae in Bigardia Maiore iuxta Bruxellam (fol. 160-6v).

Vid. nostra *Anecdota*, II. 3.

55° Vita et actus venerabilis ac Deo dilectae virginis Idae de Lovanio, monialis quondam ordinis Cisterciensis in Valle Rosarum iuxta Mechliniam (fol. 167-97).

Ed. ex hoc cod. *Act. SS.*, Apr. t. II, p. 157-89.

56° Vita ancillae Christi Idae de Nivella, postmodum sanctimonialis in Rameia (fol.197-217v).

Ed. apud Chrysost. Henriquez, *Quinque prudentes virgines* (1630), p. 199-292; sed adsunt in cod. auctaria ed. in *Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, t. II, p. 222-6; ibi vero p. 226, lin. 2, post verba : *quae Christina vocatur*, sic pergitur in cod. : *et est superstes usque ad hanc diem ; ab illa, qui voluerit, poterit huius rei ediscere veritatem.*

57° Versus epitaphiales de ipsa luculenter compositi (fol. 217v).

Ed. apud Henriquez, l. c., p. 292-3.

58° Liber miraculorum a venerabili Ida de Nivella post mortem patratorum (fol. 217v-8v).

Ibid., p. 293-7.

59° Vita virginis Christi Idae de Lewis, oppido Brabantiae (fol. 218ᵛ-28ᵛ).

Act. SS., Oct. t. XIII, p. 107-24.

60° Vita piae Lutgardis in Acquiria sanctissimae monialis (fol. 228ᵛ-46ᵛ).

Ed. adhibito hoc cod., ibid., Iun. t. III, p. 234-62.

61° Vita ac translatio apud Teneremundam SS. Christinae virginis et Hildewardi episcopi et confessoris (fol. 246ᵛ-7ᵛ).

Auctore Gielemanno. Pars, quae ad Christinam pertinet, ed. ex hoc cod. ibid., Iul. t. VI, p. 314-5. De Hildewardo agit ultima pars Vitae; quam, quia brevissiam est, hic proferemus. Nempe post verba: *Teneramundam VII° idus Septembris* (p. 315, num. 7 extr.) ita pergit noster: *Hic Hildewardus nuper sub duce Magriptio tempore persecutionis diversis tormentorum cruciatibus afflictus, sed fidei constantia in adversis velut in prosperis laetus, fidelem populum ad veritatis agnitionem admonuit fidemque catholicam constantissime praedicavit. Tamdem ipsum Magriptium, opposito veritatis speculo, in cunctis ita devicit, ut, abiecto incredulitatis errore, Iesum Christum Dei filium assereret et se suosque velle baptizari cum intenso desiderio sedulus acclamaret. Quo facto, vir Dei Hildewardus oratorium ope Magriptii sublevatus construxit et ad consummationem usque perduxit, ad quem populus locum statutis diebus cum devotione conveniret atque ab eo divina praecepta, ad quae obligatur, audiret.*

In hoc itaque beatus vir cottidie domino hostiam spiritus contribulati immolavit; in hoc corpus Christi et sanguinem Deo Patri sacrificavit; in hoc populis in Christo regeneratis ad se confluentibus verbum vitae praedicavit; in quo se per totam vitam suam in vigiliis, in ieiuniis, in orationibus ac sanctis meditationibus holocaustum Deo mactavit; in quo denique post huius vitae laudabilem transitum glorioso fine quievit. Quo de loco viri Teneremundenses veneranda eius ossa rapuerunt atque cum summo exsultationis iubilo Teneremundam transtulerunt.

Explicit Vita sanctorum Christinae et Hildewardi.

62° Vita venerabilis Aleydis de Scarenbeka sanctimonialis in Camera B. Mariae iuxta Bruxellam (fol. 248-52ᵛ).

Ed. adhibito hoc cod., *Act. SS.*, Iun. t. II, p. 477-83.

63° Vita venerabilis Iulianae priorissae in ordine Cisterciensi, quae requiescit in Villariensi monasterio Brabantino eiusdem ordinis (fol. 252ᵛ-79).

Ed. adhibito hoc cod. ibid., Apr. t. I, p. 443-75. Desinit cum num. 54.

64° Copia bullae, quam contulit dominus Urbanus papa huius nominis quartus reclusae S. Martini Leodiensis praescriptae etc. (fol. 279ᵛ).

Ibid., p. 475, num. 55, 56. Sequitur brevis narratio de officio SS. Sacramenti a S. Thoma Aquinate conscripto, cuius summa ad verbum convenit cum prima et

ultima sententia narrationis ed. ibid., Propyl. Mai, *Conatus* part. II, p. *51-2, num. 1, 2.

65° Passio dolorosae Mariae Virginis apud villam de nomine suo nuncupatam quiescentis (fol. 280-2).

Ed. ex hoc cod. ibid., Iun. t. III, p. 644-6.

66° Miracula in loco sepulturae eius (fol. 282-3ᵛ).

Ed. ex eodem ibid., p. 647-9.

67° Passio inclitae Margaretulae virginis, in civitate Lovaniensi corporaliter quiescentis (fol. 284-5).

Ed. ex eodem ibid., Sept. t. I, p. 592-5.

68° Vita venerabilis Henrici de Calstris natione Lovaniensis de ordine Fratrum Praedicatorum (fol. 285ᵛ-9).

* Bonam partem, edita ex hoc cod. apud CHOQUET, *Sancti Belgii Ord. Praedic.* (1618), p. 78-87.

69° Vita B. Christinae virginis de Sancto Trudone, cognomento Mirabilis (fol. 289-9ᵛ).

Act. SS., Iul. t. V, p. 650-9, omissis nempe num. 57-59. Codex noster citatur ibid., p. 639-40, num. 16. Ad calcem add.: *Fuit et alia Christina Mirabilis, quae citero tempore in episcopatu Coloniensi floruit in diebus domini Iohannis primi ducis; de qua nihil hic ad propositum.*

70° Vita venerabilis ac Deo dilectae Beatricis, quondam monialis ac priorissae in Nazareth, tribus distinctis libris comprehensa (fol. 296-335ᵛ).

Edita, paucis tamen hinc inde omissis, apud CHRYSOST. HENRIQUEZ, *Quinque prudentes virgines* (1630), p. 1-167. Prologus, qui apud Henriquez non legitur, editus est in *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique*, t. VII, p. 80-2.

NOVALE SANCTORUM

VID. SUPRA, p. 12-13.

Codex bibl. privatae Caesaris austriaci 9364.

Constat tomis duobus membraneis (0,382 × 0,27), quorum prior folia complectitur 354, alter 294, praeter insiticia quaedam, in quibus utrinque descriptus est index contentorum. Non inveniuntur in his tomis egregiae huiusmodi picturae, quibus Hagiologium et Historiologium decorantur; sed primum folium utriusque tomi bellissime exornatum est. In utroque etiam legitur ad calcem nota illa,

manu prima descripta, quam in Hagiologio iam repperimus : *Liber monasterii Rubeae Vallis.... Scriptus per manus fratris Iohannis Gielemans ...*, omnino ut supra p. 42 med.; sed et in tomo I subiunxit manus quaedam recentior : *Natus est hic auctor anno Domini M. CCCC. XXVII et obiit M. CCCC. LXXXVII, VIII mai.* Inter folia insiticia eiusdem tomi agglutinata est schedula chartacea, in qua scriptum est manu saec. XVIII : *Novale Sanctorum. Wapen afsnijden ;* qua de re videsis supra p. 5, not. 3.

In catalogo ms. librorum bibliothecae Rubeae Vallis (de quo supra, p. 15) signati erant isti tomi *l. 82. P* et *l. 83. P.*

TOMUS I

1° Prologus in Novale Sanctorum (fol. 1-1v).

Vide supra p. 12-13.

2° Magistri Petri de Aliaco vita et gesta S. Petri confessoris, quondam papae Caelestini Quinti, qui floruit anno Domini M°. CCC°. secundo (fol. 2-12).

Ed. ex hoc. cod. *Act. SS.*, Mai t. IV, p. 484-97.

3° Vita venerabilis Elisabeth de Spaelbeke (1) virginis, apud villam Erckenrode (2) religiose nuper degentis, quae floruit anno Domini M°. CCC°. IIII° (fol. 12v-7v).

Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux., t. I, p. 362-78.

4° Vita B. Nicholai presbyteri et confessoris de ordine fratrum eremitarum Sancti Augustini, qui floruit anno Domini M°. CCC°. et sexto (fol. 18-20v).

Compendium Vitae ed. *Act. SS.*, Sept. t. III, p. 644-56, nempe usque ad num. 51; illi simillimum, quod legitur in Legendae aureae editione Coloniensi anni 1483, fol. CCCXXVI-VIII.

5° Vita mirabilis Christinae virginis, quae floruit anno Domini M°.CCC°. tertio decimo (fol. 21-37v).

Ed. ex hoc. cod. *Act. SS.*, Iun. t. IV, p. 431-54.

6° Vita B. Thomae comitis Lancastriae et martyris, qui floruit anno Domini M°.CCC°. et XXI° (fol. 38-40).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 1.

7° Vita S. Thomae Herfordiensis episcopi, qui floruit confessor eodem tempore, quo filius spiritualis eiusdem praedictus floruit (fol. 40-1).

Compendium ed., omisso tamen prologo, qui inc. : *Sanctorum vitam et conversationem...*, in Legendae aureae editione Coloniensi an. 1483, fol. CCCXXXIII-IIII. De hoc compendio vid. *Act. SS.*, Oct. t. I, p. 540, num. 6.

(1) *Alias Plasbeek* add. Giel. sup. lin. — (2) *Ista nata fuit in villa de Trarnipte iuxta Erkenrode in comitatu Lossensi* add. idem ibid.

8° Vita S. Elzearii comitis Ariani, qui floruit circa annos Domini M.CCC. et viginti duos (fol. 41-3ᵥ).

Compendium de quo ibid., Sept. t. VII, p. 531, num. 18.

9° Disputatio inter priorem quendam et spiritum Guidonis, quae contigit anno Domini M°.CCC°.XXIIII° (fol. 43ᵛ-9ᵛ).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 2.

10° Historia de initio et fundatione ecclesiae de Beverne in comitatu Flandrensium constitutae, et initio venerationis imaginis gloriosae virginis Mariae in eadem ecclesia, et miraculis, quae per eandem imaginem fiunt; quorum omnium exordium fuit anno Domini M°.CCC°. tricesimo (fol. 49ᵛ-51).

Vid. ibid., III. 3.

11° Vita fratris Gerardi de Valencia, qui floruit anno Domini 1343° (fol. 51ᵥ-3ᵛ).

Ex Bartholomaei de Pisis *Conformitatibus Vitae B. Francisci...*, lib. I, fruct. 8, part. 2 (ed. Mediolani an. 1513, fol. 64ᵛ-5). Quaedam subinde contracta sunt; in capite legitur prologus totus paraeneticus, qui inc.: *Descripturus Vitam;* ad calcem additae sunt paucae quaedam sententiae item paraeneticae.

12° Vita S. Ivonis confessoris, qui floruit anno Domini M°.CCC°.XLII° (fol. 54-7ᵛ).

Compendium ed. in Legendae aureae editione Coloniensi an. 1483, fol. CCLXXXVI-VII. Sed in cod. praefixus est prologus, qui inc.: *Mirabilis Christi virtus et sapientia*, et pro ultima paragrapho *(Sepulchrumque eius...)* legitur CAP. 8ᵐ. DE MIRACULIS EIUS, brevis nempe miraculorum collectio, quae nihil praebet quod non sit notissimum.

13° Vita compendiosa venerabilis Ghertrudis van der Oosten virginis, quae stigmata vulnerum Christi in suo corpore gestavit, et floruit anno Domini M°.CCC°. et LVIII° (fol. 58-9).

De qua *Act. SS.*, Ian. t. I, p. 349, num. 3.

14° Vita B. Petri Thomae patriarchae Constantinopolitani de ordine Carmelitarum, qui floruit anno Domini M°.CCC°. et LXVI° (fol. 59-60).

Brevissimum compendium magnam partem desumptum ex Arnoldi Bostii libello de viris illustribus ordinis Carmelitarum *(Speculum Carmelitanum*, t. II, p. 890-1).

15° Vita B. Andreae Corsini episcopi Fesulani de ordine Carmelitarum, qui floruit anno Domini M°.CCC°. et LXX° (fol. 60-4).

Ed. ex hoc cod. *Act. SS.*, Ian. t. II, p. 1073-7.

16° Vita B. Thomae prioris Brindlingoniae in Anglia, de ordine regularium, qui floruit anno quo supra, scilicet M°.CCC°. atque LXX° (fol. 64-5ᵛ).

Compendium Vitae ed. ibid., Oct. t. V, p. 137-44.

17° Vita S. Brigittae viduae, principissae Nericiae regni Sueciae, quae floruit anno Domini M°.CCC°. LXXII° (fol. 66-72).

Ibid., Oct. t. IV, p. 485-93.

18° Translatio eiusdem (fol. 72-3').

Compendium, ut videtur, imperita satis manu confectum, documenti cuiusdam inediti; summa narrationis convenit cum his quae passim narrantur in libro III Vitae S. Birgittae auctore Bertholdo (*Act. SS.*, Oct. t. IV, p. 523 sqq.) et in libello Miraculorum (ibid., p. 534 sqq.).

19° Vita S. Katherinae, filiae S. Brigittae viduae, quae floruit anno Domini M°CCC°.LXXXIII° (fol. 74-8').

Compendium Vitae auctore Ulphone ed. *Act. SS.*, Mart. t. III, p. 505-19; item compendium appendicis ed. ibid., p. 518-9 et miraculi ed. p. 521, num. 3. Plane convenit textus noster cum textu edito in Legenda aurea Coloniensi an. 1483, fol. CCCXLII-VI, praeter quam quod Gielemannus prologum praefixit, qui inc. : *Circa tempora nostra, quae fines saeculorum attigerunt*, et in initio quaedam praemisit quae in Legenda Coloniensi non erant scripta.

20° Exordium fraternitatis Beatae Mariae de Sepi apud fratres minores in civitate Yprensi anno quo supra, scilicet M°.CCC°LXXXIII° (fol. 78v-9) (1).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 4.

21° Epistula domni Stephani de Senis, prioris quondam Sanctae Mariae de Gratia iuxta Papiam, ordinis Carthusiensis, ad fratrem Thomam Anthonii de Senis, ordinis Praedicatorum in domo Venetiarum, de gestis et virtutibus sanctissimae virginis Katherinae de Senis (fol. 82-6).

Ed. ex hoc cod. *Act. SS.*, Apr. t. III, p. 961-7.

22° Magistri Raimundi de Capua, sacrae theologiae professoris, Vita S. Katherinae de Senis, quae floruit anno Domini M°.CCC°. et LXXX° (fol. 86v-112v).

Ed. ibid., p. 853-959; om. prologus prior, seu num. 1-19, et in sequentibus multa sunt in cod. omissa. Cfr. ibid., p. 851-2, num. 3.

23° Miraculum terribile, quod accidit anno Domini M°.CCC°. LXXX°. contra rebelles Christi vicario domino Urbano papae vero (fol. 113).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 5.

24° Miraculum de quodam abbate protervo, qui vindictam Dei sibi imprecatus est anno quo supra, scilicet M°.CCC°. et LXXX° (fol. 113v).

Inc. : *Legitur in chronica pontificum Leodiensium quod anno...* Sequitur, aliis tamen verbis relata, historia quae legitur apud Radulfum de Rivo, *Gesta Pontif. Leod.*, cap. 16. (CHAPEAVILLE, *Gesta Pontif. Leod.*, t. III, p. 47).

(1) Sequuntur tria ferme folia, quae scriptura vacant.

25° Epistula magistri Iohannis Gerson, ecclesiae Parisiensis cancellarii et sacrae paginae doctoris ac professoris eximii, super confirmatione atque authentizatione legendae Christi fidelis ancillae Erminae, quae floruit circa annum Domini M^{m}.CCC^{m}.XCVI^{m} (fol. 114-5).

Ed. *Ioannis Gersonii opera omnia*, t. I (Antwerpiae, 1706), col. 83-6.

26° Vita Christi fidelis ancillae Erminae, venerabilis viduae, quae floruit anno Domini M°.CCC°.XCVI° (fol. 115-61^{v}).

De qua ibid., col. 83. Constat Vita quattuor libris, qui visionibus omnimodis conferti sunt. Vid. *Act. SS.*, ad d. 25 Aug. t. V, p. 5, inter praetermissos. Satis erit initium et finem tradidisse.

Inc. prol. : *Apparuit gratia Dei... in ancilla sua Ermina...*

Inc. : *Virago quaedam Ermina nomine, de Picardia trahens originem, venit ad urbem Remensem causa morae ibi agendae cum viro suo nomine Reginaldo anno Domini M°.CCC°.LXXXIIII°...*

Des. *Sic Ermina credens consilio supprioris confessoris sui meruit sanctum simplicem Paulum consolatorem in tentationibus suis, cuius vestigia per humilem oboedientiam secuta est in vita sua. — Explicit historia Erminae Christi fidelis ancillae, quam fecit primo in gallico frater Radulphus, supprior Vallis Scholarium Remis, confessor praedictae famulae Dei, et hanc dominus Iohannes de Balayo, supprior canonicorum regularium S. Augustini Remis apud Sanctum Dionysium, transtulit de gallico in latinum.*

Asserit autem Iohannes (in prol. *Apparuit...*) se quaedam subinde brevitatis causa resecuisse.

27° Epitaphium Iohannis Andreae, qui fuit lucerna iuris canonici et requiescit Bononiae in conventu Praedicatorum (fol. 161^{v}).

Ed. apud Savigny, *Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter*, t. VI (1831), p. 88, et alibi; ex hoc vero codice Martène et Durand, *Voyage littéraire*, t. I, 2, p. 206.

28° Vita venerabilis magistri Gerardi cognomento Magni, qui floruit anno Domini M°.CCC°.LIIII° (fol. 162-5).

Compendium Vitae a Thoma Kempensi conscriptae. Praefixit ipse Gielemannus prologum, qui inc.: *Floruit circa tempora nostra, in quibus fines saeculorum devenerunt.* Desinit textus in cap. 16, num. 5 (Sommalius, *Ven. viri Thomae a Kempis opera omnia*, p. 913, lin. 1); et subiectum est epitaphium Gerardi ed. ibid., p. 927-8, cui additi sunt a Gielemanno, ut videtur, sex versiculi invita Minerva fabricati :

Anno milleno octoginta quaterque triceno, etc.

29° Vita domini Florentii, rectoris fratrum in Davantria, qui floruit anno Domini M°. et CCCC° (fol. 165-9).

Compendium Vitae ab eodem Thoma conscriptae (ed. Sommalius, p. 928 sqq).

30° Sequitur dictamen rigmicum per modum hymni, compositum a quodam devoto donato Winderemensi, de conversione, vita et moribus sive gestis venerabilis viri magistri Gerardi, re et cognomine Magni (fol. 167-70).

Ed. *Messager des sciences historiques de Belgique*, 1877, p. 345-54. Textus editus mendis scatet; sic v. g. secundus versiculus tum in codice Vindobonensi, tum etiam in Bruxellensi scriptus est:

Quae grata patri luminum per Willibrordum inclitum.

31° Item aliud dictamen de eodem magistro Gerardo, in quo diffusius praedicta omnia replicantur, necnon et de virtuosa vita ac moribus magistri Florentii, eius discipuli et imitatoris praecipui (fol. 170-3v).

Inc. *Laudemus bonum Dominum,*
Qui natum suum prodigum
Motus misericordia
Magna praevenit gratia.

Constat carmen 283 strophis seu versiculis 1132; nullius autem est momenti.

32° Vita discipulorum domini Florentii, venerabilis presbyteri et vicarii ecclesiae Davantriensis (fol. 173v-85v).

Auctore Thoma de Kempis (ed. Sommalius, p. 970 sqq.). Quaedam passim omissa sunt.

33° Vita et passio S. Sigismundi, regis Burgundionum, de stirpe Karolidarum (fol. 186-7).

MG., Scr. rer. merov. t. II, p. 333-40.

34° Vita venerabilis Girardi de Rossilum, qui fuit de sanguine Karolidarum affinis (fol. 187-91).

Compendium textus ed. a. v. cl. P. Meyer in *Romania*, t. VII (1878), p. 178-222, nempe usque ad num. 246. Pro prologo, qui legitur in editis, exstat alter, qui inc.: *Benedictus Deus*, et totus paraeneticus est. Initium Vitae ita deformavit Gielemannus: *Nobilis Girardus, dominus de Rossillum, filius Drogonis fuit; quem Drogonem Gundebaldus quondam rex Burgundiae progenuit. Hic autem Girardus suo tempore dominium totius Burgundiae, Alverniae, Vasconiae, comitatus Avinionensis, Autisiodorensis, Torndorensis, Nivernensis, Lemovicensis ac maioris partis Hispaniae et Alemanniae a Rheno quidem, quae usque ad Bremam civitatem Hispaniae protendebatur.* Reliqua ex Vita edita fideliter excerpta sunt. Brevem locum nostri textus ex hoc cod. ed. Martene et Durand, *Voyage littéraire*, t. I, 2, p. 206.

35° Gesta Katherinae virginis Lovaniensis, nuper in Parco Dominarum monialis Cisterciensis (fol. 194-5).

Ed. ex hoc cod. *Act. SS.*, Mai t. I, p. 532-4.

36° Gesta venerabilis Elizabethae de Wans, sanctimonialis Cisterciensis in Aquiria (fol. 195v).

Nihil ferme continent praeter ea quae scripsit Thomas Cantipratanus, lib. II *de apibus*, cap. 50. Inc. *Monialis genere ac vita nobilissima, dicta Elizabeth de Wans, nuper in monasterio quodam Brabantiae...* Des. : *Sit igitur nomen Domini benedictum in saecula, qui sexum fragilem...* Ex ista clausula colligere est Vitam hanc ab Aegidio de Dammis scriptam esse (cfr. supra, p. 15 med.). De Elisabetha ipsa vide *Act. SS.*, Iul. t. I, p. 6, et Oct. t. IV, p. 564, inter praetermissos.

37° Gesta venerabilis Odae, feminae religiosae, apud villam Thorembays nuper degentis (fol. 196).

Hanc notitiam, stilo paululum mutato, exhibet Raissius, *Ad Natales sanctorum Belgii Ioannis Molani auctarium* (1626), fol. 64.

38° Gesta venerabilis ac religiosissimae virginis Margaretae de Gerines, natione Bruxellensis, conversae in Valle Ducissae, coenobio ordinis Praedicatorum iuxta Bruxellam (fol. 196v-201v).

Ed. ex hoc cod. apud H. Choquet, *Sancti Belgii Ord. Praed.* (1618), p. 220-46.

39° Chronica venerabilium abbatum Villariensium (fol. 202-14).

MG., Scr. t. XXV, p. 185-215. Proxime accedit codex noster ad codicem 2a secundae recensionis. Ad calcem sequuntur loci duo ex Thoma Cantipratano et Caesario Heisterbacensi, ut in 2a (cfr. t. c., p. 215, not. *n*).

40° Liber de gestis virorum illustrium monasterii Villariensis (fol. 214-41v).

Martene, *Thes. nov. anecd.*, t. III, col. 1310-74; excerpta ex eodem *MG.*, Scr. t. XXV, p. 220-35. Habemus nempe hic recensionem alteram, cuius index capitulorum plane convenit cum indice ed. *MG.*, t. c., p. 229; proinde capitula nonnumquam alio ordine se excipiunt quam in editione Martenii. Insuper desunt in hac editione, atque hic leguntur, 1° subinde prodigia vel visiones; 2° Versus de vita et obitu fratris Arnulfi, conversi Villariensis (fol. 235v), ed. *Act. SS.*, Iun. t. V, p. 631; 3° Integrum caput de fratre Petro (fol. 236-7v), quod ceteroqui nihil continet notatu dignum.

41° Liber de origine monasterii Viridis Vallis in Zonia et de quibusdam viris illustribus eiusdem (fol. 242-57v).

Integrum opus tripartitum Henrici de Pomerio, ed. *Anal. Boll.*, t. IV, p. 263-322. In cod. ad calcem om. clausula, sed add. : *Anno dominicae incarnationis M°.CCCC°.XXXV°. pridie kalendas mai improviso incendio combusta est antiqua structura monasterii Viridis Vallis, et eodem anno, quo supra, impetrato indulto apostolico a poena et a culpa, reparatum est venustius quam fuerat, uti est conspicuum.*

42° Planctus venerabilis fratris Guilhelmi Iordani, canonici regularis Viridis Vallis, super obitu fratris Iohannis de Speculo, diaconi eiusdem coenobii (fol. 258-61).

Ibid., p. 323-33. Om. clausula.

43° Primordiale monasterii canonicorum regularium Rubeae Vallis in Zonia (fol. 261-82).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 6.

44° Epitaphia quorundam patrum domus Sancti Pauli in Zonia, et primo de proprii actoris ortu et progressu; dehinc succincte ac breviter de situ et qualitate loci praedicti; post de eiusdem dedicatione ac in monasterium erectione, laude quoque et excellentia; item de secundaria et renovata in melius eiusdem monasterii reaedificatione ac sollemniori dedicatione. Deinde sequuntur epitaphia, recommendationes et laudes praecedentium patrum eiusdem domus, ac demum continuantur exhortationes devotae sive admonitiones fervidae, dulces et amorosae ad aedificationem eorum, qui in loco praenominato subrogandi sunt, ut usque ad finem huius vitae fixa mentis stabilitate perdurantes, in domo caelesti feliciter cum sanctis et electis Dei aeterni regis consortes effici mereantur. Amen (fol. 284ᵛ-4bisʳ).

Inc. *Nascitur in Veris, ortu cognomine veris,*
A Christo dictus, qui semper sit benedictus.

Auctor nempe carminum est Christianus de Veris, canonicus regularis in Rubea Valle († 1431).

45° Epitaphia trium emeritorum : Patris Danielis de Hoelaer quinti prioris; fratris Arnoldi Buederic; fratris Winandi coci nostri (fol. 284bisʳ).

Inc. 1ᵘᵐ : *Hanc Vallem Rubeam quintus prior ecce decorat*
Pistoris Daniel, Maria Martha simul...
Inc. 2ᵘᵐ : *Rubea Vallis, ave, profers nobis quia doctum*
Arnoldum Buederic, hunce virum celebrem...
Inc. 3ᵘᵐ : *In Zonia Pauli domus exhibet ipsa fidelem*
Winandum laicum, praegrande decus pietatis...

46° Imaginaria visio seu figuralis super oratione dominica expositio, edita et descripta per quendam devotum regularem canonicum Septem Fontium, Henricum ex Pomerio (fol. 285-292).

Inc. : *Cum nuper in cella multum studiose quaererem, si aliquam possem invenire orationem meae devotioni convenientem, visus est mihi astare quidam iuvenis, qui me taliter est allocutus...*

47° Apologia reverendi professoris sacrae paginae magistri Aegidii Carlerii, ecclesiae Cameracensis decani, pro conscriptore praefatae visionis (fol. 292).

In Christo venerabilis frater, non habent iustam causam, qui dicta vestra super oratione dominica reprehendunt, cum in salutatione dicitis : " Pater noster, qui

es ". Vere etenim ac optime dictum est: " Pater noster qui es "; nam " qui est " proprium nomen est Dei. Concordat magnus Dionysius, libro de divinis nominibus; concordat et tota schola theologorum, quod optime Deus " qui est " nominatur. — Et haec est tota apologia.

48° Visio cuiusdam fratris prioratus Postellensis, ordinis Praemonstratensis, de poenis peccatoribus assignatis, descripta a quodam monacho ordinis Sancti Benedicti monasterii Haffligeniensis (fol. 292-3v).

Inc: *In provincia Brabantiae, quae Campinia nuncupatur ... monasterium ordinis Praemonstratensis situm est, quod Postella dicitur ... Quid autem Dominus in illo ad multorum correctionem cuidam ex fratribus, sicut ipso narrante didici, per tres vices ostendere dignatus sit,... explicare conabor. Erat namque apud memoratum locum frater quidam laicus, Henricus nomine, simplicis admodum vitae, Deo satis devotus. Hic frequenter aegritudine laborabat...*

49° Historia de miraculosa revelatione venerabilis Sacramenti in civitate Bruxellensi (fol. 294-6v).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 7.

50° Historia de translatione carnis dominicae circumcisionis iuxta narrationem domini Iohannis Goeselier, presbyteri et baccalarii in decretis atque canonici ecclesiae Antwerpiensis (fol. 297-7v).

Vid. ibid., III. 8.

51° Versus historici de lacrima D. N. Iesu Christi, quam angelus recepit, flente Iesu, et Mariae Magdalenae in quodam vasculo ad hoc aptato dedit. Reservatur autem haec eadem, qua redemptor noster pro nobis flevit, licet videatur super Lazarum flevisse, apud Calfvordiam villam Brabantiae in confinio Flandriae ob salutem multorum debilium oculorum, quorum sanitatem peregrini locum istum visitantes consequuntur, dummodo cum fide vera id devote faciant (fol. 298).

Vid. ibid., III. 9.

52° Exordium de inventione sanctae crucis, quae servatur in Ascha iuxta Bruxellas (fol. 298v-9).

Vid. ibid., III. 10.

53° Historia fundationis et exordii seu incohationis monasterii Beati Petri Haffligeniensis sub regula S. Benedicti abbatis (fol. 299-305).

MG., Scr. t. IX, p. 407-17.

54° Historia de inventione reliquiarum capsae B. Mariae Waverensis ac de causa et ordine processionis eius, quae celebratur et frequentatur singulis annis in diversis locis (fol. 305v-8).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 11.

55° Historia fundationis ecclesiae B. Mariae in Laken iuxta Bruxellam (fol. 308-10).

Ed. ex hoc cod. Sanderus, *Brabantia sacra*, t. III, p. 268-70.

56° Exordium fundationis ecclesiae Sancti Salvatoris in Hakendover prope civitatem Thenensem in Brabantia (fol. 310-1).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 12.

57° Historia fundationis et propagationis ecclesiae B. Mariae in Alsenberghe (fol. 311-2v).

Vid. ibid., III. 13.

58° Narratio quomodo imago gloriosae virginis Mariae perducta est Bruxellam et collocata super Sabulum (fol. 312v).

Vid. ibid., III. 14.

59° Origo sive exordium monasterii nostrae Dominae de Gratia in Schuete ordinis Carthusiensium iuxta Bruxellam (fol. 313-21v).

Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique, t. IV (1867), p. 87-122.

60° Exordium et origo capellae constructae in Boondale in honore beatae Dei genetricis et S. Adriani martyris in parochia de Uckele, iuxta villam de Watermale ad miliare iuxta insignem civitatem Bruxellensem, quod fuit anno Domini M°. CCCC°. LVIII° (fol. 321v-6v).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 15.

61° Historia sanguinis miraculosi de Busco Domini Isaac, quae contigit anno Domini M°. CCCC°. V°. in Hannonia (fol. 327-34v).

Vid. ibid., III. 16.

62° Copia bullae approbantis et confirmantis veritatem sanguinis miraculosi in Busco Isaac conservati (fol. 335-7v).

Textum gallicum harum litterarum reperire est in Fr. Vinchant, *Annales de la province et comté de Hainaut*, t. VI (1853), p. 132-3. Sed in hac versione gallica omissum est instrumentum bene longum in forma litterarum conscriptum a viris illis, quibus mandaverat Petrus de Alliaco, ut in hoc miraculum inquirerent; quod instrumentum idem Petrus suis ipsius litteris inseruit.

63° Exordium venerationis iconae B. Mariae virginis in Lee, quae constituta est in Flandria iuxta Alostum, quod contigit anno Domini M°. CCCC°. et XIIII°., quando in ecclesiam est illata et venerabiliter illic ab omni populo adorata (fol. 337v).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 17.

64° Initium fundationis capellae B. Mariae virginis iuxta oppidum Hannofer in Saxonia, Mindensis dioecesis, quae contigit anno Domini M°. CCCC°. et XVII°., per quendam Carthusiensem annotatum (fol. 338-8v).

Inc. *Est in Saxonia oppidum insigne Hannofer dictum, Mindensis diocesis, cui per modicae spatium distantiae nemus iungitur Heynholtz nuncupatum...*

Des ... *sed etiam in corporalibus eorum necessitatibus ad laudem D. N. I. C...*

Haec est summa mirabilis historiolae: Sacerdos quidam senio affectus, cum imaginem B. V. M. secum ubique deferret, eam a loco Heinholtz quadam vice movere non potuit. Cum autem ibi plurima facta essent miracula, primo capella ibidem exstructa est; deinde vero, curante Mindensi episcopo et " Ottone duce de Bruynswyck ", pulchra ibidem aedificata est ecclesia. Paulo post sacerdos importunis precibus a B. V. M. impetravit, ut iuventus sibi redderetur, et quasi triginta annorum iuvenis factus est. Non diu tamen supervixit, sed post triginta dies piissime obiit.

65° Miraculum sollemne de B. Anna per quendam Carthusiensem scriptis commendatum, quod contigisse fertur anno Domini M°. CCCC°. et XVII°., anno videlicet quo supra (fol. 339-9v).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 18.

66° Vita B. Vincentii confessoris de ordine Praedicatorum, qui floruit anno Domini M°. CCCC°. XVIII° (fol. 339v-46v).

Act. SS., Apr. t. I, p. 482-512, scilicet usque ad lib. IV, num. 14; sed haec omnia in codice contracta sunt.

67° Miraculum praeclarum de S. Margareta virgine, quod contigit in civitate Londoniensi, per revelationem cuidam devotae personae factam publicatum anno Domini M°. CCCC°. atque XXVIII° (fol. 347-7v).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 19.

68° Visio cuiusdam Carthusiensis, qui floruit anno Domini M°. CCCC°. XXIX°., per quam cognovit quod magna salus et gratia latent in rosario B. Mariae semper virginis Dei genetricis (fol. 347v-8v).

Inc. *Frater quidam ordinis Carthusiensis, Dei et eius genetricis amore compulsus, unum ad fidelium devotionem composuit rosarium, quia magna in illo salus et gratia latet, et maior quam hucusque scivimus. Quidam enim de patribus, qui obierunt anno dom. inc. M°. CCCC°. XXXI° in domo Treverensi Carthusiensis ordinis, in scriptis reliquit...*

Des. ... *exceptis indulgentiis, quas recentiore tempore pontifices romani supradictum rosarium dicentibus gratiose concesserunt.*

69° Exordium miraculorum B. Mariae Virginis in diocesi Morinensi ac territorio Casletensi in Flandria et parrochiali ecclesia de Bullizele, quod fuit anno quo supra, videlicet M°.CCCC°. et XXIX° (fol. 348v).

Vid. nostra *Anecdota*, III, 20.

70° Tractatulus de origine monasterii Septem Fontium (fol. 349-54).

Vid. ibid., III. 21.

TOMUS II

1° Prooemium in secundam partem Novalis Sanctorum (fol. 1-1ᵛ).

Vide supra, p. 13

2° Vita venerabilis Christi Lidwigis de Schiedam, quae floruit anno Domini M°. CCCC°. XXXIII° (fol. 1bis-35ᵛ).

Act. SS., Apr. t. II, p. 270-302. Capitula eodem modo ordinata sunt atque in Vita teutonica (cfr. ibid., p. 271, col. 2); insuper subinde quaedam inserta sunt, quae in editis non repperimus, nempe post cap. 34 sex folia paraeneticis plena, tum alia nonnulla, ex quibus pauca quaedam notatu digna videntur, scilicet fol. 34ᵛ : *Cum vice quadam, praesente domina Iacoba ducissa de Hollandia in Tyeling, de statu huius virginis recitatio fieret, ...Adstabat autem dominus Iohannes de Wassenar, miles huic virgini satis familiaris et cordialis;* item fol. 35ʳ post *...solitum est fieri* (nempe *Act. SS.*, t. c., p. 301, num. 150): *Qualiter autem praefatum saxum ad eam pervenerit, breviter referam. Iohannes Petri, avus huius virginis, de quo dictum est capitulo primo, habuerat fratrem nomine Guilhelmum consecratum in sacerdotem. Qui feria sexta ante Dominicam, in qua primam missam cantaturus erat, causa probationis indutus futurae suae sollemnitatis novis vestibus, quibusdam referentibus amicos utriusque parentis sui periculose satis contra se invicem concitatos et pugnantes, egressus ut sedaret et pacificaret eos, particulatim ab eisdem occisus, ad septemtrionalem plagam turris antiquae Delfensis circa altare sancti Laurentii sub rubeo saxo sepultus est. Post mortem itaque neptis suae Petronillae, de qua XXVI° capitulo dictum est, desiderabat eiusdem sepulcrum, in quo et mater sua Petronilla sepulta fuit, saxo operiri, et se in eodem sepulcro sepeliri, atque illius ossa circa se reponi; misitque dominum Iohannem confessorem suum Delft, ut huic operi conveniens saxum emeret. Perrexitque ille Delft, locutusque magistris ecclesiae praefatae, pretio minus condigno, videlicet duarum librarum Hollandiae, suscepit ab eis praefatum rubeum saxum, ante quinquaginta fere annos per duorum fere pedum spatium sub pavimento de sepulcro praedicti domini Guilhelmi effossum, impositumque parvae naviculae absque ulla difficultate eodem die transvexit Schiedam, atque in cimiterio supra Petronillae sepulcrum similiter absque difficultate deposuit. Cum igitur huius virginis sepulcrum fieret, Petronillae ossa reperta et in novo loculo reposita, condita sunt in fundo fossae sub sarcophago istius, sicut post mortem illius desideraverat, matris vero ossa in fundo fossae circa sarcophagum Petronillae virginis..... Quae [capella] anno Domini 1436° completa est.*

3° Revelatio spiritus Henrici Bosman, quae contigit anno Domini M°. CCCC°. XXXVIII° (fol. 35ᵛ-41ᵛ).

Inc.: *Libet hic inserere lectioni dialogum habitum inter vivum et mortuum, inter hominem et spiritum; qui non modo aedificativus, sed etiam admodum veridicus comprobatur. Anno siquidem a nativitate Domini M°.CCCC°. et XXXVIII°. elapso,*

permissione divina contigit apparitio cuiusdam spiritus admirabilis et nostris temporibus inaudita sub diocesi Coloniensi, in terra Clevensi, villa Meyrico iuxta civitatem Dusselborch sita. Cuius quidem spiritus acta et dicta verificavit et confirmavit quidam notabilis ac venerabilis professor sacrae paginae, magister Iohannes de Hessen, asserens ea secundum catholicam veritatem credibilia et acceptabilia, contestans insuper hunc spiritum bonum exstitisse, addens nihilominus praeclaram determinationem super dubiis, quae possent circa praenominatam materiam moveri.

Igitur in vico praedicto vita excesserat olim quidam satis dives in genere suo per annos circiter XL ante terminum sive tempus praefixum, nomine Henricus, cognomine Bosman, qui in diebus vitae suae fuerat agriculturae deditus. Contigit autem, ut pronepos praefati viri annorum circiter XXV, nuncupatus Arnoldus Bosman, in vigilia S. Martini episcopi anno quo supra, postquam rediit cum equis de pascuis, vergente sole ad occasum, obvium haberet spiritum praenominati Henrici avi sui in specie canis magni hitentis ipsum devorare...

Des. : *Praefatus Arnoldus, qui haec descripsit, pro media parte non recitavit ea quae audivit in tempore intermedio a tertia die apparitionis usque ad ultimam, propter inopiam memoriae ex horrore visionis plurimum debilitatae. Sed est descripta visio Tondali militis, qui huic multum assimilatur, quantum ad intuitum poenae ac gloriae, quas spiritus ei declaravit. Visio autem ista totaliter incepit a vigilia S. Martini episcopi et interpolate duravit usque ad ascensionem Christi, cui est laus...*

Videtur haec esse versio latina opusculi rarissimi, de quo CAMPBELL, *Annales de la typographie néerlandaise au XVe siècle* (1874), p. 96, num. 356 et 357. Cfr. *Second supplément* (1884), p. 10-11.

4° Decretum authenticum generalis concilii Basiliensis super constitutione festi de conceptione gloriosae Virginis Dei genetricis Mariae editum anno M°.CCCC°. XXXIX° (fol. 42-2^v).

HARDOUIN, *Acta conciliorum*, t. VIII (1714), p. 1266-7. Additum est in cod. : *Hoc decretum fuit promulgatum tempore concordiae inter dominum Eugenium papam et eius concilium, ut testatus est piae memoriae magister Nicolaus Ofhuys, venerabilis doctor sacrae paginae de ordine Fratrum Praedicatorum, qui praesens exstitit eo tempore et loco, quo et ubi istud fuit diffinitum. Hic publica in disputatione Lovanii in schola theologiae affirmare et probare voluit usque ad cremam istud contigisse tempore praedictae adhaesionis et concordiae, et per consequens manet usque in hodiernum diem et deinceps inconvulsum et firmum atque in perpetuum authentizatum.*

5° Memoriale [de eodem festo] (fol. 42^v-3^v).

Ed. in Legendae aureae editione Coloniensi an. 1483, fol. ccccxiii-v, scilicet inde ab *Offert se praeterea* (f. ccccxiii, col. 3 ad calcem) usque ad finem.

6° Miracula pro confirmatione praemissorum divinitus recenter manifestata (fol. 43^v-4^v).

Ibid., fol. ccccxiii, col. 1-3, nempe usque ad : *Haec ille* (lin. 3 a fine).

7° Ex scriptis quibusdam Basileae compositis tempore synodi per quendam doctorem hispanum super celebratione festivitatis beatae ac gloriosae semperque virginis Dei genetricis Mariae (fol. 44v-5).

Inc.: *Per sacras disputationes in generali congregatione synodali conclusum est videri debere poni pro finali conclusione quod pium, immo piissimum...*

Des.: ... *et contradicens primo articulo fidei de omnipotentia Dei: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Haec ille in tractatu de conceptu virginali.* Sequuntur tres conclusiones de eadem materia. Inc.: *Postremo notandae sunt quaedam conclusiones circa beatissimae virginis sanctificationem...* Des.: *Unde semper dilexit eam ut matrem futuram sanctam.*

8° Copia bullae super institutione festivitatis summae Trinitatis editae a domino Benedicto papa huius nominis XIII°., quae postmodum confirmata fuit a beatae memoriae domino Petro de Aliaco, Cameracensi episcopo ac postmodum Romae tituli S. Chrysogoni martyris cardinali presbytero (fol. 46).

Inc.: *Rerum omnium creatricem...;* data autem est *Ianuae, kal. iul. anno XI°.* Hac bulla non constituit Benedictus festum SS. Trinitatis, sed institutum iampridem et nonnullis in locis neglegi coeptum, iterum mandat ab omnibus celebrari.

9° Copia bullae super institutione festi Visitationis B. Mariae Dei genetricis a domino Bonifatio huius nominis nono nuper feliciter editae (fol. 46v-7v).

Ed. in Legendae aureae editione Coloniensi an. 1483, fol. ccccxvi-vii, et in *Bullario romano,* t. III, 2 (Romae, 1741), p. 378-9.

10° Copia bullae domini Martini papae quinti huius nominis super institutione, dilatatione atque confirmatione festivitatis excellentissimi et dignissimi sacramenti corporis et sanguinis D. N. I. C. (fol. 48-8v).

Ibid., p. 461-2.

11° Copia bullae domini Eugenii papae huius nominis quarti de unione graecorum cum ecclesia latina in concilio Florentino super processu Spiritus sancti a Patre et Filio, et aliis (fol. 49).

Ibid., t. III, 3 (Romae, 1743), p. 25-6.

12° Copia bullae eiusdem super confirmatione festi venerabilis sacramenti corporis et sanguinis Christi nuper instituti (fol. 49v-50v).

Ibid., p. 9-10.

13° Copia bullae domini Nicolai huius nominis quarti de plenaria indulgentia peccatorum collata Romae anno Domini M°. CCCC°. et L° (fol. 50v-2v).

Inc. *Immensa et innumerabilia sunt divinae misericordiae munera...* Recitantur praeterea litterae apostolicae a Clemente VI et a Gregorio XI de eadem re

datae; subiectus est locus ex Francisci Philelphi oratione ad Iacobum Antonium Marcellum de obitu Valerii filii sui (G. GARNEFELT, *Vita v. m. Nicolai Albergati* (1618), p. 113 post med.: *At Nicolaus quintus...* — p. 114 sub init.: *veteris nostrae consuetudinis).*

14° Tractatus loquens de certificatione transmissa per Franconem de Twayr venerabili patri domino cardinali Avinionensi de cladibus et expugnatione praeclarae urbis Constantinopolitanae, quae nuper anno a nativitate Domini M°. CCCC°.LIII°. fuit a Turchis expugnata et christianis ablata (fol. 53-8ᵛ).

Ed. ex hoc cod. apud MARTENE et DURAND, *Ampl. coll.*, t. V, col. 785-800.

15° Copia bullae domini Callisti papae tertii huius nominis editae post expugnationem urbis Constantinopolitanae super cladibus eiusdem (fol. 59-60ᵛ).

RAYNALDUS, *Ann. eccles.*, ad an. 1456, XIX-XXIII (ed. Mansi, t. X, p. 67-70).

16° Relatio domini Aeneae, laureati poetae et imperialis secretarii, de bello Turchorum et Hungarorum, in quo rex Poloniae et cardinalis S. Angeli cum multis nobilibus perierunt (fol. 60ᵛ-1ᵛ).

Aeneae Sylvii opera omnia (Basileae 1551), p. 536-7.

17° Sequuntur epistulae ac orationes domini Aeneae Silvii, poetae ac oratoris maximi, primo quidem Senensis, postmodum romani pontificis Pii huius nomini secundi.

Et primo epistula eiusdem ad dominum Petrum Noxetanum palatinum comitem. Nota bene et lege libenter, quia bona est et pulchra de vita et conversatione actoris (fol. 62-6ᵛ).

Ibid., p. 756-63.

18° Propositio sive oratio domini Aeneae Senensis episcopi, qui postea fuit Pius papa secundus, in conventu Ratisponensi ex parte imperialis maiestatis contra Turchos et alios infideles christianorum invasores (fol. 67-68ᵛ).

Ed. *Pii II pont. max. orationes politicae*, ed. Mansi, t. I, p. 251-8.

19° Infrascripti fuerunt praesentes in conventu seu concilio Ratisponensi (fol. 68ᵛ-9).

MARTENE et DURAND, *Ampl. coll.*, t. VIII, col. 1013-5.

20° Conclusiones seu capitula producta per imperiales oratores in dieta Ratisponensi, quae ab omnibus laudata fuerunt (fol. 69-70).

Ibid., col. 1015-8.

21° Oratio domini Aeneae Senensis episcopi, legati Caesaris, habito in conventu Francvordiensi, XVᵃ octobris die anni 1457 (fol. 70-6).

Opera omnia (Basileae, 1551), p. 678-89; *Orat. polit.*, ed. Mansi, t. I, p. 263-85.

22° Relatio domini Aeneae Senensis episcopi de illustrissimo Alfonso rege Aragoniae virtuoso (fol. 76-7).

Inc. : *Alfonsi regis mos est et fuit familiares, quos ipse alumnos appellabat, aegrotantes visitare...*

Des. : *...et sepulcro huiusmodi epitaphium inscribi mandavit :*

Qui fuit Alphonsi quondam pars maxima regis,
Gabriel hac modica nunc tumulatur humo.

23° Epistula domini Aeneae Senensis episcopi ad Procopium militem de Rabesteyn de fortuna (fol. 77-80).

Opera omnia (Basil. 1551), p. 611-6; ad calcem add.: *Epistola... quam in laicali adhuc habitu dictavit ; nam postea aliter sensit.*

24° Dialogus eloquentissimi atque reverendi patris domini Aeneae Silvii, poetae laureati atque Senensis episcopi, postea Pii papae secundi, contra Bohemos atque Thaboritas, de sacra communione corporis Christi (fol. 80-91).

Ibid., p. 660-78.

25° Epistula eiusdem in cardinalatu florentis, in qua murmur germanicae nationis reseratur et notabilibus rationibus enervatur, insuper Callixtus papa tertius praedecessor eius commendatur (fol. 91-2ᵛ).

Ibid., p. 822-4.

26° Sequuntur aliae ipsius in papatu praecellentis ad diversas personas et pro diversis causis. Has enim, sicut et praecedentes, hic inserere nobis placuit, quia tractant de his, quae ad propositum sunt et quae circa haec tempora evidenter contigerunt.

Copia bullae domini Pii papae huius nominis secundi retractantis omnia per eum adhuc in minoribus agentem pro concilio Basiliensi et contra Eugenium quartum huius nominis summum pontificem scripta (fol. 93-6ᵛ).

Bullarium romanum, t. III, 3 (Romae, 1743), p. 100-5.

27° Responsio domini Pii papae secundi data oratoribus serenissimi regis Franciae in consistorio publico, cum illi per os cardinalis Attrebatensis, viri disertissimi, oboedientiam praestitissent et pragmaticam sanctionem abrogassent, die XVIᵃ martii anno Domini M°.CCCC°. LXII° (fol. 96ᵛ-9ᵛ).

Pii II pont. max. orationes politicae..., ed. Mansi, t. II, p. 103-14.

28° Responsio domini Pii papae facta oratoribus regis Bohemiae super petitione communionis eucharistiae sub utraque specie (fol. 99ᵛ-101ᵛ).

Ibid., p. 93-100.

29° Oratio domini Pii papae secundi habita in concilio sive conventu Mantuano sexto kal. octobris anno Domini M°.CCCC°.LIX°., multum laudata et approbata in consistorio publico curiae romanae (fol. 101-6ᵛ).

Ibid., p. 9-29, et *Opera omnia* (Basileae 1551), p. 905-14.

30° Sequuntur epistulae gloriosi ac beati papae Pii huius nominis secundi ad universos Christi fideles, incitantes eos contra Turchos; cuius sors speratur esse cum sanctis (fol. 106ᵛ-7ᵛ).

Pii secundi pont. max. epistolae, ed. Mediolan. an. 1481, fol. 1-4. Inc. : *Vocavit nos pius...*

31° Item epistula eiusdem contra Turchos (fol. 107ᵛ-8).

Inc. : *Pater providus, operosus et vigil...*

32° Item epistula eiusdem unde supra (fol. 108).

Inc. : *Etsi traditione maiorum pugnantem Dei populum...*

33° Item epistula eiusdem unde supra (fol. 108).

Inc. : *Cum nos dudum adversus impiam Turchorum gentem...*

34° Item epistula eiusdem unde supra (fol. 108ᵛ).

Inc. : *Dilectis filiis Francisco Neretini Valentinensis et Iacobo Pats Barcinonensis ecclesiarum canonicis, decretorum doctoribus, in regno Siciliae apostolicae sedis nuntiis, salutem... Integrae fidei vestrae probata sinceritas...*

35° Item epistula eiusdem unde supra (fol. 108ᵛ).

Inc. : *Venerabili fratri Antonio episcopo Fulginati, ad provinciam et partes Lombardiae apostolicae sedis legato misso, salutem... Cum te ad provinciam et partes Lombardiae...*

Et subdit Gielemannus : *Reliquas epistulas huius viri clarissimi atque doctissimi legere cupientes remittimus ad epistulare ipsius, ubi et alia plurima continentur ab eodem notabilissime dictata.*

36° Vita religiosae Christi ancillae Mariae de Lylle, beghinae in Herenthals civitate Brabantiae, quae floruit circa annos Domini M.CCCC.LII^os (fol. 108bis-139).

Vid. nostra *Anecdota*, III. 22.

37° Sequitur copia litterae testimonialis cuiusdam notarii pro certificatione subsequentis historiae de vita venerabilis Pyrone sponsae Christi, apud ecclesiam Sancti Nicolai extra muros civitatis Mechliniensis reclusae, quae floruit circa annos Domini M.CCCC.LXXII., cuius vitam descripsit confessor eiusdem frater Iohannes Taye, natione Bruxellensis, de ordine fratrum Carmelitarum Mechliniensium (fol. 139-9ᵛ).

Vid. ibid., III. 23.

38° Vita venerabilis Pirone seu Petronillae Hergods reclusae, in cimeterio S. Nicolai extra muros civitatis Mechliniensis sub regula B. Francisci religiose degentis (fol. 146-77' et 139'-41).

Vid. ibidem.

39° Ex libro de viris illustribus ordinis Carmelitarum de magistro Iohanne Soreth (fol. 142').

Compendium de quo DANIEL A MARIA VIRGINE, *Speculum Carmelitarum*, t. II, p. 597, num. 2082.

40° Vita magistri Iohannis Soreth, generalis ordinis Carmelitarum, qui floruit anno Domini M°. CCCC°. LXXI° (fol. 143-5').

Ed. ex hoc cod. ibid., p. 599-604.

41° Vita Deo devotissimae virginis Clarissiae Leonardi cognomine, Mechliniensis beghinae, floridae anno Domini M°.CCCC°. LIII° (fol. 178-193').

Vid. nostra *Anecdota*, III. 24.

42° Vita B. Ludovici Alemani, romanae ecclesiae presbyteri cardinalis, qui floruit anno Domini M°. CCCC°.XL° (fol. 194-6).

Ed. ex hoc cod. *Act. SS.*, Sept. t. V, p. 458-62.

43° Vita S. Bernardini confessoris de ordine minorum, qui floruit anno Domini M°. CCCC°. XLIIII° (fol. 196-204).

τούτοις ἐστενοχώρητο· κατεπλούτει γάρ, εἴπερ ἐβούλετο, τοῦ τε Ἀμπελᾶ (1) καὶ τῶν ἄλλων Ἀσίαν[2] ἀρχόντων χορηγούντων διὰ τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἀρετὴν ἄφθονα· προαιρέσει δὲ μᾶλλον καὶ τῷ μὴ θέλειν τῶν σήμερον εἰς τὴν ἑξῆς κἂν λείψανον ἀποτίθεσθαι, καθάπερ οἱ δι' ἑαυτῶν ζῆν δοκοῦντες, ἀλλ' οὐ Θεῷ. Καὶ καλῶς μεθώδευε τὰ διδόμενα· οὐ γὰρ ὁ μηδὲν ἔχων, εἶτα βουλόμενος κτᾶσθαι καρτερικός, μὴ δυνάμενος· ἀλλ' ὁ δυνάμενος μέν, οὐ βουλόμενος δέ. Ἐξ οὗ καὶ τὸ τέλεον ἀπερίσπαστον τοῖς τὸν ἀγῶνα τρέχουσι περιγίνεται τοῦτον, διότι τὸ μὴ διασπᾶσθαι Hebr. 12, 1. περὶ τούτων μηδὲν εἰς τὴν τοῦ σκοποῦ πολὺ συμβάλλεται τελειότητα. Ὑπεισδύεται γὰρ ὁ ταῖς μεθοδείαις τῆς ἀπωλείας ποικίλος καὶ πρόφασιν ἐφευρίσκει καὶ [fol. 217v] διὰ τῶν ἐλαχίστων φροντίδων τοῦ κτᾶσθαί τι καὶ τῶν εὐλόγων αὐτῶν, εἰδώς, ὅτι ὁ ταῦτα περὶ πλείστου ποιούμενος καὶ τοῖς ἀλόγοις πάντως περιπεσεῖται (καθά που καλῶς ὁ τῆς ἱερᾶς ἀρχιτέκτων κλίμακος ἔφησε) (2), καὶ ὑπεισδυόμενος τὸ πᾶν πληροῖ τε καὶ καθαιρεῖ. Ἢ γὰρ ἀσθένειαν ἔσεσθαι ὑποβάλλει ἢ γῆρας μακρὸν ἢ οἰκείων ἀνάκτησιν[3] ἢ ἄλλα τινὰ τοιαῦτα, δι' ὧν τις καθίσταται φιλάργυρος καὶ μισάνθρωπος· καὶ τὸ ἐλεεινότερον, ἀποκλείεται ἢ καταδύεται μετὰ τὰ πολλὰ κύματα καὶ τὴν ζάλην τῆς ἀσκητικῆς θαλάσσης καὶ[4] τῆς τοῦ κλύδωνος τῶν νοητῶν πνευμάτων διεγέρσεώς τε καὶ ἐπιπνεύσεως τοῦ σωστικοῦ λιμένος τῆς τοῦ Θεοῦ γαληνότητος, ἢ πρὸς αὐτῷ τῷ λιμένι σὺν πολλοῖς ἀγωγίμοις καὶ ἐμπορεύμασι κατακλύζεται. Διὰ τοῦτο Νικηφόρος, ὁ σοφὸς εὑρετὴς καὶ διαγνώστης ἀλάθητος τῶν σοφισμάτων τοῦ πονηροῦ, πάντοθεν ἀποκρουόμενος τὰς ἐπιβουλάς τε καὶ μηχανὰς τοῦ ἀλάστορος πάροδόν οὐκ ἐδίδου τῷ μιαρῷ διὰ τῆς [fol. 218r] ἀποθησαυρίσεως τῶν ἐπιδιδομένων.

20. Καίτοι, τοῦ χρόνου προϊόντος, καὶ πλῆθος πολὺ τῶν συστάντων περὶ αὐτὸν μοναχῶν ἦν· ὧν λέγεται τραπέζῃ περικαθισάντων μιᾷ τινι τῶν ἡμερῶν, ὡσεὶ ὀγδοήκοντα ὄντων ἀνδρῶν, μηδὲν ἄλλο (ὅτι μηδ' ἦν) κατὰ τὸ μέσον παρατεθῆναι ἢ προσφορὰν μίαν καὶ μόνην. Ἦν ὁ πατὴρ εἰς ἐλάχιστα διαθρύψας, ὢ τῆς καρτερίας, πᾶσι διένειμε τοῖς ὥσπερ

in Dei providentiam fiducia

— [2] *ita cod., forte* Ἀσίας. — [3] *ita cod.; forte* ἀγανάκτησιν. — [4] *ita cod., corrige* ἐκ.

(1) De Ampela haec habet Leo Diaconus, *Hist.*, l. VIII, n. 1: Συμεὼν ὃς γεωργὸς ἀμπέλων καθεστηκὼς ἐκ τῆς ἐργασίας αὐτῆς, τὸ ἐπώνυμον εἴληφεν Ἀμπελᾶς κατονομασθείς. *P. G.*, t. CXVII, p. 822. Hic Bardae Phocae assecla fuit, a quo postea defecisse legitur. — (2) Iohannes Climacus aperte designatur, sed locum citatum frustra quaesivimus.

ἀνῃρημένοις τηνάλλως καὶ ἀνέμοις ζῆν, τὸ λεγόμενον· καὶ τὸ λοιπὸν τῆς ὥρας ἐψυχαγώγει ἀνέχων τῆς ἀσιτίας ταῖς διδασκαλίαις τοὺς μοναχούς. Τί ἄν τις θαυμάσειε πρότερον; τὸν πατέρα; τὰ τέκνα; Ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἀπέπεμπε τῶν προσιόντων οὐδένα διὰ τὴν ἔνδειαν· οἱ δὲ τὸ συνταλαιπωρεῖν κατησπάζοντο διὰ τὸν πλοῦτον τῆς χρηστότητος τοῦ γεννήσαντος. Οὕτως εἰσὶν ὠδῖνες πνευματικαὶ τῶν σαρκικῶν κρείττους[1] καὶ αὐτανάγκαστοι· καὶ τῆς ὑπερφυοῦς ἀγάπης κάτοχοι γεγενημέναι ψυχαὶ εὐμαρῶς καὶ ἡδέως καὶ τὰ προσάντη φέρουσι καὶ πικρότατα. Οὐ μὴν [fol. 218v] ἅπαντες, ὡς εἰκός, τὴν ὀνόματι τράπε-
Gen. 37, 11. ζαν ἀπεδέχοντο, ἐπεὶ μηδ' οἱ τοῦ Ἰακὼβ τοῖς ὀνείροις τοῦ Ἰωσὴφ ἥδοντο, ἀλλ' ἦσάν τινες γογγυσταὶ καὶ μικρόψυχοι, ὅσοις τὸ νηπιῶδες τῆς πνευματικῆς ἡλικίας ἔτι προσῆν, καὶ τὰ τῆς σαρκικῆς γεννήσεως ἐξανθήματα διὰ τῆς τριχώσεως οὐκ ἀπέβαλον. Συνεῖχε δ' οὖν ὅμως ὁ πατὴρ διὰ τοῦ λόγου παρέλκων καὶ ἀπάγων τοῦ ἐξανίστασθαι, καθά
prodigiis non semel probata. τινας ἥξεσθαι προσδοκῶν· οἵ γε καὶ ἥκασιν αὐτίκα μάλα παντοδαπὴν φέροντες πανδαισίαν τοῖς ὑποζυγίοις ἐπηχθισμένην, ἄρτους, ἰχθύας, οἶνον, ἃ πάντα κατὰ τὸ ἔθος ὁ γέρων, ὁποτέρας ἡμέρας βούλει, διανειμάμενος οὐδὲν ἧττον τῶν ἐφημέρων ἔμενεν ἐνδεής, ἀπαράλλακτον ἔχων τὸ ἐπιτήδευμα. Τοῦτο δ' οὐχ ἅπαξ αὐτῷ συμβεβήκει, τὸ τῶν ἀναγκαίων φημὶ ἐλλιπές, ὅτι μηδ' ἅπαξ ἦν τοῦ οἰκτείρειν· ἀλλὰ καὶ πολλάκις αὐτῷ συντετυχήκει, μᾶλλον δὲ ἀεί. Πλὴν οὐδ' ὁ Θεὸς ἐπιχορηγῶν δαψιλῶς καὶ θαυματουργῶν ἐνεδίδου· καὶ ὥσπερ φιλονεικία τις ἦν καὶ ἅμιλλα μεταξὺ ἀμφοτέρων, δεσπότου καὶ [fol. 219r] δούλου, κἂν τολμηρὸν τὸ λεγόμενον, τοῦ μὲν φιλοτιμουμένου ταῖς ξέναις εἰσφοραῖς καὶ προσόδοις καὶ τερατουργοῦντος παράδοξα, τοῦ δὲ φιλονεικοῦντος νικῆσαι τῇ ἀφθονίᾳ τῆς δόσεως. Ὃ καί τις ἄλλος τῶν τῆς συμπαθείας ἐραστῶν ποιῶν ἦν, ὡς ἐν τῷ τοῦ ἐν ἁγίοις Ἰωάννου τοῦ ἐλεήμονος ἀναγέγραπται βίῳ. Τοιαῦτα γὰρ πρὸς τὸν Θεὸν παρρησιαζόμενος ἀπεφθέγγετο· Ναὶ ναί, φησίν, ὦ δέσποτα τῶν ὅλων καὶ βασιλεῦ, σοῦ παρέχοντος κἀμοῦ σκορπίζοντος, ἴδωμεν τίς νικᾷ (1). Καὶ ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον· ἐπ' ἄλλο δὲ τρεπτέον τὸν λόγον.

20. — [1] *cod.* κρείττω.

(1) Ναὶ ναὶ ἢ σὺ πέμπων ἢ ἐγὼ σκορπίζων ἴδωμεν τίς νικᾷ. Gelzer, *Leontios von Neapolis Leben des heiligen Iohannes des Barmherzigen*, Freiburg i. B, 1893, p. 6.

21. Μετὰ γὰρ τὴν ἐκ τῶν Ἐρεβίνθου (1) πρὸς τὴν Πλάτανον (2) καὶ αὖθις πρὸς τὸ Ξηρὸν Χωράφιον (3) μετοικεσίαν [1] καὶ μετανάστασιν τοῦ ἀνδρὸς ἡ τούτου μήτηρ ἡ μακαρῖτις[2] Μαρῖνα (αὕτη γὰρ αὐτῇ μετὰ τὴν τοῦ θείου σχήματος ἀνάληψιν ἡ προσηγορία) (4) τοῖς Ἐρεβίνθου ἐνδιητᾶτο καὶ διέτριβεν ὑπουργῷ τὰ πολλὰ κεχρημένη τῇ θαυμασίᾳ γραΐδι, τῇ μητρὶ τοῦ νῦν τὴν τῶν ἀδελφῶν προστασίαν πεπιστευμένου [fol. 219v] Ἀνδρέου. Πῦρ τοίνυν, πρὸς τίνος μὲν ἀναφθὲν λέγειν οὐκ ἔχω, πολὺ δ' ἐπελθὸν τὰ πέριξ ἐδῄου καὶ κατελυμαίνετο καὶ δὴ καὶ τὴν μονὴν ἐξαφανίζειν ἠπείλει. Ἀλλ' ὁ μέγας οὗτος καὶ Θεῷ μεμελημένος ἀνὴρ δέκα πρὸς τοῖς δυσὶν ἢ καὶ πρὸς ἀφεστηκὼς μιλίων (5) διάστημα τὰ κατὰ τὴν μητέρα διέγνω διὰ θείας οἶμαι φαντασίας καὶ ἀποκαλύψεως· καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα τῶν ἀδελφῶν (Νικόλαος δ' ἦν οὗτος, ὁ τὴν τῶν ἡμιόνων ἐγκεχειρισμένος ὑπηρεσίαν καὶ ἐπιμέλειαν)· Ἄπιθι, φησίν, ὦ οὗτος, δρομαῖος καὶ τὰ Ἐρεβίνθου καταλαβὼν τὸν ἐπελθόντα φόβον ταῖς γραΐσι κατάστειλον· πυροειδὴς γὰρ κύων ἱκανῶς ταύτας ἐξεδειμάτωσε (τὸν ἐμπρησμὸν ἐν τούτοις ὑπαινιττόμενος). Ὁ δὲ θᾶττον πεφθακὼς τὴν μονὴν καὶ θεασάμενος πάντα τὸν τόπον πυρίκαυστον συνῆκε τίς ὁ πυρώδης κύων. Rerum remotarum

22. Ὅμοιον δὲ τούτῳ καὶ ὃ μέλλω λέγειν, μᾶλλον δὲ καὶ πλεῖστον τούτου διαφέρον καὶ [fol. 220r] ὑψηλότερον. Ἤδη κλινούσης ἡμέρας ποτέ, καὶ πρὸς τῇ δύσει ὄντος ἡλίου, δίψει περιφλεγὴς ἐγεγόνει καὶ τὸν ταμίαν προετρέψατο ποτὸν ὀρέξαι αὐτῷ. Καὶ ὃς κεκερακὼς ἐπώρεξε· μήπω δ' ἐκπιὼν τὸ δοθὲν αἴφνης παρεκελεύσατο μεταστῆσαι τὰ παρακείμενα τάχει πολλῷ, ἥκειν τινὰς προσειπών. Ὁ δὲ κελλαρίτης μετατιθεὶς πάντα, καθὼς προστέτακτο, τῇδε κἀκεῖσε περιῆγε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἰδεῖν, τίνες οἱ ἥκοντες· ἀλλ' οὐδὲν ἠδύνατο καθορᾶν· ἔτι γὰρ ὡς πρὸς τὴν τοῦ μεγάλου ὀξυδορκίαν παραβαλλόμενος ἀμβλυωπῶν ἦν. clara cognitio,

21. — [1] *ita cod., forte legendum* μετοίκησιν. — [2] *codex habet* μαρκαρίτις *quod eo certius in* μακαρῖτις *corrigendum est quo magis discedit a forma feminina* Μαρκαριτὼ *quae personae propria est (vide Usener,* Acta S. Marinae, *p. 11).* Μαρκαρίτης, Μαργαρίτης *nomen masculinum est. Pape-Benseler,* Griechische Eigennamen, *pp. 859, 863.*

(1) Supra, c. 17, p. 148. — (2) Supra, c. 16, p. 147. — (3) Supra, c. 16, p. 147. — (4) Advertit Boissonade, *Anecdota nova*, Parisiis, 1844, p. 24, monachos graecos solitos fuisse nomen quo in saeculo vocabantur alio mutare, sed plerumque quod ab eadem littera quo saeculare inciperet. Maria prius vocabatur Nicephori mater (c. 4, p. 136) quae nunc Marina dicitur. — (5) Verte : cum duodecim milibus vel etiam amplius distaret.

Πολλῶν δὲ ὡρῶν διελθουσῶν καὶ τοῦ μετὰ τὸ δεῖπνον κανόνος ἐκτελεσθέντος (1) ἧκον οἱ προλεχθέντες ἄνδρες πολλὴν ἔκπληξιν ἐπὶ τῇ προρρήσει παρασχόντες τῷ κελλαρίτῃ· ἀπείκασε γάρ, ὡς ἔφησε, τὸ τηνικάδε τὴν τούτων ἄφιξιν σημᾶναι τὸν ἅγιον, ἡνίκα πρὸς τῷ τῆς βασιλικῆς ἦσαν μέρει (2). Ἀλλ' ὦ διαυγῶν καὶ φαεινῶν ὀμμάτων, μηδενὶ διειργομένων [fol. 220ᵛ] τὰ πορρωτάτω βλέπειν· ὦ καρδίας ἀκραιφνοῦς καὶ εἰλικρινοῦς. Αἰσχυνέσθωσαν λοιπὸν Ἕλληνες καὶ καταδυέσθωσαν οἱ ῥυπαροὶ καὶ ἀκάθαρτοι κύνες, οἱ θρασύστομοι καὶ ψευδῆ φληναφοῦντες, Λυγκέας τινὰς ἐπεισάγοντες πολυομμάτους διὰ τοίχων καὶ τὰ ὑπὸ γῆν βλέποντας (3). Εἰ γὰρ ἐκ καθαρότητος καὶ Θεοῦ δῶρον ἡ προόρασις, πόθεν ἐκείνοις τοῖς τῶν παθῶν δημιουργοῖς καὶ προσκυνηταῖς τὸ τιμῆεν καὶ ὑπερφυὲς τοῦτο κτῆμα κτηθήσεται; Τί τοίνυν ἀπολείπεται τοῦτο τοῦ κατὰ τὸν μέγαν Ἀντώνιον; ὃς τοῦ τῆς Νητρίας Ἀμμοῦν τὴν ψυχὴν ἑωράκει ἀναλαμβανομένην εἰς οὐρανοὺς πεντεκαίδεκα ἡμερῶν ἀπέχων ὁδόν (4). Ὁ γὰρ πεφθακὼς ἀοράτως ὁρᾶν καὶ δι' ἡμέρας ὁδοῦ βλέπειν πάντως καὶ διὰ πλειόνων οὐκ εἰρχθήσεται τῆς τοιαύτης ὁράσεως, ἐπειδὴ τῷ ἔχοντι καθαρότητα δοθήσεται νοῦς φωτεινὸς τὰ μακρόθεν ὁρῶν καὶ περισσευθήσεται θεάματα μυστικά.

in pauperes misericordia,

23. Θαυμάζεται Σαραπίων ἐπὶ τῇ τοῦ [fol. 221ʳ] ἱεροῦ δόσει πυκτίου (5), καὶ ἄξιος θαύματος ὁ ἀνήρ· καὶ γὰρ ἄκρως τὴν μοναδικὴν πολιτείαν κατώρθωσεν. Ἀλλ' οὐδ' ἡ τοῦ ἡμετέρου πατρὸς συμπάθεια καὶ χρηστότης τὴν ἐλάττονα ψῆφον ἀποίσεται τῆς τοῦ μεγάλου Σαραπίωνος προαιρέσεως, εἰ παρὰ κριταῖς ἐξετασθείη δικαίοις μηδ' ἑτέρῳ προσώπῳ χαριζομένοις. Καὶ οὗτος γὰρ ταὐτὸ τοῦτο πεποιήκει τῶν ἀδελφῶν ἀγνοούντων, καί μοι δοκεῖ παραχωρεῖν αὐτῷ τῶν πρωτείων ἐν τούτοις καὶ Σαραπίωνα· ὅτι ὁ μέν, πυθομένου τοῦ μαθητοῦ, ποῦ δὴ[1] τὸ εὐαγγέλιον, οὐκ ἀπεκρύψατο τὴν δόσιν· ὁ δὲ ὥσπερ καὶ ἑαυτὸν καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν λαθεῖν ἐπειγόμενος κλὼψ τῶν οἰκείων πραγμάτων ἐγίνετο,

23. — [1] *cod.* δέ.

(1) Haec officii pars etiam citatur in *Vita S. Lucae iunioris*. ap. COMBEFIS, *Nov. Auctar.*, p. 1001. — (2) Supra, p. 147. — (3) Apollonii *Argonaut.*, I, 154. Vide *Scholia in Aristophanem*. Plut., 210, ed. Didot, pp. 336, 552. Ex his hausit Suidas quae affert sub verbo λυγκεύς, BERNHARDY, p. 624. Forte legerit auctor noster Philostrati *Icones* II, 15, ed. KAYSER, t. II, p. 361. — (4) *Vita S. Antonii*, c. 60, *P. G.*, t. XXVI, p. 929. — (5) Hoc desumpsit auctor noster ex Vita S. Iohannis eleemosynarii, n. 23, quam alias quoque citat. Iam GELZER, *Leontios von Neapolis Leben des hl. Iohannes des Barmherzigen*, p. 150, notavit Leontium Neapolitanum perperam S. Serapioni tribuisse quae de S. Bessarione narrat Palladius, c. 116.

οὐ νοσφίσασθαί τι τούτων βουλόμενος ὡς Ἀνανίας καὶ Σάπφειρα, ἀλλ' ὁμογενέσι βοηθεῖν σοφωτάτως διανοούμενος. Πῶς δ' ἂν ἐξαριθμήσαιμι χιτωνίσκων παροχὰς κλωπιμαίας, οὓς ταῖς τῶν ἀδελφῶν κέλλαις λαθραίως εἰσπηδῶν ἐκλωποφόρει καὶ ἀ[fol. 221v]φῃρεῖτο, ἵν' ἐπαρκέσειε τοῖς μὴ ἔχουσιν; οὐδὲ γὰρ ἐν μέτρῳ ταύτας παραλαβεῖν νοῦς ἐξισχύσειε· βοῶν δ' ἀροτήρων καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν[2] (1) ὑπεξαιρέσεις καὶ δόσεις ἀφίημι, μή πως ὀχληρὸς τῷ πλήθει τοῦ λόγου τοῖς ἀκούουσι κατασταίην. Πλὴν τοῦτο μόνον ἀναγκαῖον ἐπισημήνασθαι, ὅτι τὸ περὶ τοὺς πλησίον ἐπιμελὲς καὶ φιλόπτωχον ἐκ τῆς εἰς Θεὸν ἀκορέστου ἀγάπης ἐξεγένετο τούτῳ, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν ἐκ τοῦ κήδεσθαι τῶν πλησίον καὶ τὸν[3] Θεὸν φιλεῖν προσεγένετο. Ταῦτα γὰρ ἐξ ἀλλήλων ἀμοιβαίως καὶ κατὰ διαδοχὴν ἀποτίκτονται. Ὁ γὰρ μὴ Θεὸν ἀγαπῶν, ὃν γενεσιουργὸν πάντων καὶ ἑαυτοῦ ἐξεπίσταται, πῶς περιέξεται τοῦ συνδούλου; καὶ ὁ μὴ ὃν ὁρᾷ περιέπων τε καὶ φιλῶν πῶς τῷ ἀοράτῳ προσέξει καὶ ποθήσει[4] [τὸν[5]] μὴ βλεπόμενον; Οὗτος τοίνυν καὶ Θεοῦ σφοδρῶς ἀντείχετό τε καὶ περιείχετο καὶ τῷ περὶ τοὺς ὁμογενεῖς οἴκτῳ κατεμαλάττετο καὶ ἐκάμπτετο. Καὶ διὰ τοῦτο συνήλ[fol. 222r]γει τοῖς πάσχουσι καὶ τοῖς λυπουμένοις συνωλοφύρετο καὶ τοῖς εὐφραινομένοις συνήδετο, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν τοῖς πᾶσι συνδιετίθετο καὶ τοῖς ἅπασιν ἐμερίζετο καὶ πάντα πᾶσιν ἐγίνετο κατὰ τὸν ἀπόστολον, ὡς ἑκάστῳ τὰ τοῦ βίου συνέπιπτεν.

Act. 5, 1. — Ioh. 4, 20. — I Cor. 9, 22.

24. Ἆρ' οὖν ἀγάπης ἐπιμελησάμενος, ἐλπίδος ἢ πίστεως κατημέλησεν; Ἀλλὰ τοῦτο τῶν οὐκ ἐνδεχομένων. Οὐκ ἂν γάρ τις ἀγαπήσειεν, ᾧ μὴ πεπίστευκεν· οὐδ' ἂν τὰ προσόντα προθύμως ἀποκτήσαιτο, μὴ βεβαίαις ἐλπίσι περί τινων μελλόντων ἐπερειδόμενος ἀγαθῶν, καὶ περὶ τῶν παρόντων δὲ θαρρεῖν ἔχων, ὡς οὐδενὸς ὑστερηθείη πεποιθὼς ἐπὶ Κύριον· εἰπὲ γάρ μοι τίνι θαρρῶν ἀνυδροτάτοις ὡς ὁρᾷς ἐνηυλίσθη χωρίοις; τὸ γὰρ ὁμιχλῶδες τοῦ χώρου καὶ πᾶσιν ἀσύμφορον καταλείψομεν· καίτοι καὶ τοῦτο παραστατικὸν τῆς τοῦ ἀνδρὸς πίστεως καὶ δεῖγμα μέγιστον τῆς εἰς Θεὸν πεποιθήσεως καὶ ἀγάπης. Τίσι δὲ καὶ [fol. 222v] τίνων λόγοις βεβαιωθεὶς περὶ τοῦ τῆς χρείας ἀνελλιποῦς τοιοῖσδε τόποις ἐνεκαρτέρησε; καὶ ταῦτα μὴ μόνος ὢν (οὐ γὰρ ἦν

fides et spes,

— [2] *cod.* ταλασιουργῶν. — [3] *forte* τό. — [4] ποθήσειε *cod.* — [5] *om. cod.*

(1) Forte citat Hesiodum, *Op.* 403, βοῦν τ' ἀροτῆρα, et Homerum, *Iliad.*, XXIII, 654: Ἡμίονον ταλαεργὸν ἄγων. Quid sibi velit mulus lanifex (ταλασιουργός) reapse nemo intelliget.

τοσοῦτον παράδοξον τὸ λεγόμενον), ἀλλ' ἑβδομήκοντά που περὶ αὐτὸν ἔχων ψυχάς· ὧν ὅσον ὁ ἀριθμὸς ἄπειρος, τοσοῦτον καὶ τὸ πρᾶγμα θαυμάσιον. Ἆρ' οὐ δῆλον, ὡς ἐκείνου τοῖς λόγοις πεπίστευκε τοῦ εἰπόντος· μὴ μεριμνήσητε, τί φάγητε ἢ τί πίητε ἢ τί ἐνδύσεσθε[1]; Τού-
Matth. 6, 25. των οὖν οὕτως ἀποδεδειγμένων καὶ ἱκανῶς ἐξητασμένων, προϊέτω ὁ λόγος ἐπὶ τὰ πρόσω καὶ τῆς οἰκείας ἐχέσθω τάξεως.

spiritus propheticus.

25. Ἀνῄει ποτὲ Θεόδουλος, ὃς καὶ ἔτι περίεστι, τὴν ἐπὶ τὴν μονὴν ἄγουσαν λεωφόρον, οἶνον ἐκ τῶν Ἐρεβίνθου ἐπισάξας τῷ ἀχθοφόρῳ ζῴῳ· οὕτω γὰρ πρὸς τοῦ ὁσίου ἐπετέτραπτο. Ἀνιόντι δὲ πτῶμά τι συνέπεσε χαλεπὸν καὶ δαιμόνιον. Κατὰ γὰρ μέσην τὴν ὁδόν, ἔνθα πολὺ τὸ φαραγγῶδες καὶ ἀπόκρημνον πάνυ στενοτάτην παρέχον τὴν δίοδον, τὸ ζῷον παρατραπὲν τῆς εὐθείας[1] κρημνιζόμενον ἑωρᾶτο. Ἀλλ' ὢ τῶν [fol. 223r] σῶν θαυμασίων, οἷς ἀμείβῃ τοὺς σοὺς θεράποντας, δέσποτα. Ὥσπερ γὰρ ὑπό τινος βασταζόμενον καὶ ἀγόμενον καὶ κατὰ πεδίου πρανοῦς βαῖνον τό τε ζῷον ἀσινὲς ἐφυλάχθη καὶ τῶν ἀσκῶν οὐδεὶς διερράγη. Τοῦτο θεασάμενος ὁ Θεόδουλος ἐξηπόρητό τε καὶ ἐξεπέπληκτο ἀνελπίστου τε χαρᾶς πλήρης ἐπὶ τούτῳ γενόμενος ἠρέμα κάτεισιν ἐπὶ τὸν κρημνὸν καὶ τοῦ καλωδίου δραξάμενος ἀνήγαγε τὸ ζῷον εὐμαρῶς μηδὲν λυμανθέν, ὡς προείρηται. Ἐλθόντι δὲ πρὸς τὴν μονὴν προσυπαντήσας ὁ μέγας· Τί, φησίν, ὦ Θεόδουλε, λελύπησο καὶ κατήφησας[2], ὀλιγοπιστίᾳ κεκρατημένος ὡς μή τινος τῶν ἡμετέρων προνοουμένου; οὐκ ἂν γὰρ ἡμᾶς ἐάσει ποτὲ λυπηθῆναι ἡ οἰκονόμος ἡμῶν καὶ κελλαρῖτις, ᾗ τὰ καθ' ἡμᾶς μέλει τε καὶ μελήσει, ἕως καὶ ἡμεῖς αὐτὴν στέργωμεν· τὴν ἄχραντον Θεοτόκον διὰ τούτων ὑποσημαίνων. Οὕτω γὰρ εἰώθει κελλαρῖτιν ταύτην ἀποκαλεῖν, ἐκ πολλῆς καὶ διαπύρου πίστεως. Καὶ τοῦτο μὲν τοιοῦτον· οὐ μεγάλου ὄντος, τοῦ μὴ τῷ κρημνῷ [fol. 223v] τὸ ζῷον διαπεφωνηκέναι ἢ ῥῆξίν τινα τοὺς ἀσκοὺς πεπονθέναι, μεῖζον τὸ μὴ μαθόντα τὸ γεγονὸς προειπεῖν ἐκδηλότατα καὶ φανότατα.

De abbate Zosima.

26. Τὸ δὲ τοῦ ἀββᾶ Ζωσιμᾶ πῶς ἂν σιωπήσαιμι ἢ σιωπήσας πῶς οὐκ ἂν τὸν λόγον τὰ μέγιστα ζημιώσαιμι; Γεγόνει γὰρ καὶ οὗτος ἐν τοῖς τοῦ μεγάλου χρόνοις, ἐρημικὸν πάντῃ καὶ μηδὲν πτηνῶν διαφέροντα τὸν βίον διαγαγὼν ἐν πλείστοις τοῖς ἔτεσι, μέχρις ἂν τὸ σῶμα τὴν οἰκείαν ἀπολωλεκὸς δύναμιν καὶ λίαν ἠτονηκὸς καὶ ὠκλακὸς πρὸς

24. — [1] *ita cod., lege* ἐνδύσησθε.
25. — [1] εὐείας *cod.* — [2] κατήφισας *cod.*

τοὺς πόνους χρείαν ἔσχε μικρᾶς ἀνέσεως. Κτίσας[1] τοίνυν κελλίον πρὸς τοῖς Ἐρεβίνθου, τοῦ τῆς ἡσυχίας κἀν τούτῳ μέλιτος ἡδέως ἐνεφορεῖτο, ᾗ παρ' ὅλον τὸν βίον συνέζησε· φιλικῶς δὲ πρὸς τὸν ἅγιον ἔχων πυκναῖς πρὸς αὐτὸν ταῖς προόδοις ἐκέχρητο. Ἡνίκα γοῦν ἀνιέναι βεβούλητο, προέγνωστο ἡ τοῦ γέροντος ἔλευσις, ὡς αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ Ζωσιμᾶς διηγήσατο· ἡ δὲ πρόγνωσις δι' ὧν ἐροῦμεν γνωσθήσεται. Λαμβάνων γὰρ ταῖν χεροῖν ἄγγος τι πλῆρες οἴνου προήει μικρὸν ἔμπροσθεν ἐπὶ [fol. 224r] τὸν τοῦ Σωτῆρος νεών, ὃ νῦν ταφεῖον ἢ πολυάνδριον τῶν ἀδελφῶν προσωνόμασται καὶ γεγένηται, καὶ τῷ σταυρῷ προσκαθεζόμενος, ὃς παρὰ τὴν ὁδὸν πέπηκται, τὸν Ζωσιμᾶν προσεδέχετο καὶ ἀνελθόντα φιλανθρώπως ἐδεξιοῦτο τῷ ἐκπώματι, εἰδὼς αὐτὸν ἐκ πολλῶν κόπων δεόμενον ἀναπαύσεως. Τοιοῦτος ἦν περὶ τὴν συμπάθειαν πολὺς καὶ ἀκόρεστος· οὐ γὰρ μέτρον ᾔδει τοῦ τῆς ἐλεημοσύνης καλοῦ, ἀλλ' ἴσος ἦν ἅπασι καὶ ἴσως πρὸς πάντας διέκειτο, πραείᾳ τῇ φωνῇ καὶ μειλιχίῳ τῇ ὄψει τοῖς ἅπασι προσφερόμενος. Ἐκ τούτου συνέβαινεν αὐτῷ μηδὲ κατηφιᾶν ἢ σκυθρωπάζειν, ἀλλ' (ὅ φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος) πάντοτε χαίρειν, πλὴν εἰ μή πού τινα ῥακοδυτοῦντα I Thess. 5, 16.
ἢ τεταριχευμένον θεάσαιτο· ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις πάθεσιν οὐχ οἷός τε ἦν ἑαυτὸν ἐπισχεῖν, ἀλλ' ὅλος δακρύων ἐνεπιμπλᾶτο καὶ κατηφείας καὶ οὐκ ἀνίει θρηνῶν, ἕως ὅτου παρεμυθήσατο λόγοις τε παρακλήσεως καὶ δόσει ἀγαθῶν, ὧν ηὐπόρει, τὸν ἐν ἀπορίᾳ τυγχάνοντα.

27. Ἐκ τούτου καὶ [fol. 224v] τὸ πρὸς τοὺς οἰκείους μαθητὰς πρᾷόν τε καὶ ἀόργητον καὶ εἰρηνικὸν αὐτῷ κατωρθώθη καὶ τὸ θυμοειδὲς τῆς ψυχῆς μέρος ἐπὶ τῆς οἰκείας ἔμεινε καταστάσεως καὶ ἣν παρὰ τοῦ δημιουργήσαντος τάξιν ἐτάγη, ταύτην ἀκλινῆ διετήρησεν· οὐ γὰρ καθ' ὁμογενῶν ὁ θυμὸς ἐδόθη, κἂν ἐχθροὶ δοκοῖεν καὶ ἐπαχθεῖς, ἀλλὰ παθῶν ἀμυντήριον καὶ ὄφεως ἀναιρετικὸν τοῦ τὴν πτέρναν τηροῦντος μισητοῦ Gen. 3, 15.
καὶ ἐχθροῦ. Ταῦτα ὁ θεῖος ἀνὴρ ἀκριβῶς ἐξεπιστάμενος οὐδέποτε τοῖς ἀδελφοῖς γογγύζουσιν ἢ ἀνθισταμένοις καὶ μηδὲν ἔχειν διαβεβαιουμένοις πρὸς τὴν τῶν ξένων ὑποδοχὴν προσωργίζετο ἢ ἐταράττετο, ἀλλὰ παιδικῶς ὥσπερ κλαυθμυρίζων καὶ ὑποκνηθόμενος[1] πρὸς τὴν ὑπακοὴν ἤλειφε· δύο διὰ τούτου τὰ μέγιστα πραγματευόμενος· τῇ τε γὰρ κολακείᾳ καὶ ἡμερότητι ῥᾷον αὐτοὺς κατεδουλοῦτο καὶ ὑποχειρίους εἶχεν, οἷς ἔλεγε, (φιλοῦντος οὕτω τοῦ ἀνθρωπίνου γένους διὰ πρᾳότητος

Nicephori in discipulos lenitas,

26. — [1] Ἐτίσας *cod.*
27. — [1] *ita cod., facilius intelliges si ponas auctorem scripsisse* παιδικῶς ὡς παιδίον κλαυθμυρίζον καὶ ὑποκνηθόμενον.

εἴκειν μᾶλλον καὶ ἄγεσθαι ἢ τραχύτητι καὶ σκληρότητι [fol. 225r] κάμπτεσθαι) καὶ τῆς κακίστης ἀνελπιστίας ἀπῆγε, Θεῷ ἑαυτοὺς ἐπιτρέπειν
Matth. 6, 25. καὶ ἀνατιθέναι διδάσκων καὶ μὴ περὶ τροφῆς μεριμνᾶν ἢ ἐνδύματος, ἀλλ' ἐλπίζειν ἀνενδοιάστως, ὡς οὐδενὸς στερηθήσονται, οἷς Θεὸς ἥδεται προσανέχοντες.

lacrimarum copia, **28.** Περὶ δὲ δακρύων τί χρὴ καὶ λέγειν; ὁπότε μηδ' ἀναφανδὸν ἐγκρατεύσασθαι τούτων ἠδύνατο, ἡνίκα θείοις νοήμασι καὶ λόγοις ὡμίλει· τὰ γὰρ ἐγκρυφῇ[1] ὁ τῶν κρυπτῶν οἶδε γνώστης, ᾧ τὰ πάντα ἑαυτὸν μᾶλλον ἐφανέρου· κάτοχος γὰρ ὅλος ὢν τῷ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἔρωτι, ἡνίκα τις τῶν δεσποτικῶν ἑορτῶν ἐπέστη, ἑαυτὸν ἀποκρίνων τῶν ἄλλων καὶ τοῦ λαοῦ παντὸς προψάλλων ἡδείᾳ καὶ μελισταγεῖ τῇ φωνῇ τοῖς δάκρυσι κατεβρέχετο· καὶ ἦν εἰκάσαι πηγῇ πολυχεύμονι τὰ χεόμενα δάκρυα· εἰ δὲ διήκουσας ἀναγινώσκοντος, ὡς οἱ ἀκηκοότες φασίν, εἶπες ἂν ἁρπάζεσθαι τοῦτον καὶ τὴν ψυχὴν ἀποκρέμασθαι τῶν λογίων καὶ πρὸς οὐρανὸν μετεωροπορεῖν, καὶ μάλιστα εἰ θεολογία ἦν [fol. 225v] τὸ ἀναγινωσκόμενον· τὴν δὲ πάννυχον στάσιν, ἣ τὰ πλεῖστα μὲν ταῖς εὐχαῖς, ἐλάττω δὲ ταῖς ψαλμῳδίαις ἐδίδοτο, πῶς ἂν προσηκόντως ἐκπλαγείην ἢ ἀγασαίμην; ἐπαινέσαι γὰρ ἐξηπόρημαι, βραδύνους ὢν παντελῶς καὶ λογικῆς ἀποδείξεως ἀπορῶν. Ἀλλ' εἰ καὶ λόγον εἶχον, οὐκ ἂν πρὸς τοσοῦτον καὶ τηλικοῦτον μέγεθος καὶ ὕψος πραγμάτων ἤρκεσα, μιᾶς ἑκάστης ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς ὑπερβαινούσης ὅρους ἐγκωμίων καὶ λόγων δύναμιν. Εἰ γὰρ Ὅμηρος ὁ σοφώτατος πρὸς ἐξαρίθμησιν μόνην Ἑλληνικοῦ στρατεύματος ἀπηγόρευσε καὶ πρὸς τοῦτο μὴ ἐξισχύειν καθωμολόγησε (1), μηδ' εἰ παρεῖεν αὐτῷ δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματα, τί ἂν αὐτὸς ποιήσαιμι, μεγίστων μὲν πραγμάτων ἁψάμενος καὶ τοσούτῳ μείζονα τὴν ἀπορίαν προϊσχομένων τῆς ἀπαγορεύσεως τοῦ ποιητοῦ, ὅσῳ ταῦτα θειότερα ἐκείνων καὶ ὑψηλότερα, ἀμαθίᾳ δὲ παντελεῖ καὶ ἀγροικίᾳ σύντροφος ὢν [fol. 226r] καὶ (ὃ τούτων βαρύτερον ἢ ἀληθέστερον) νοῦν ζοφώδη καὶ ἀφεγγῆ ἐκ τῆς τῶν παθῶν κεκτημένος ἐπικρατείας; Πλὴν ἐπειδήπερ οὐ λόγων εὔροια, πίστις δὲ καὶ προαίρεσις τὰ ζητούμενα, ταῦτ' ἐκφέ-
standi disciplina, ρομεν κατὰ δύναμιν. Τοσοῦτον γοῦν τῇ στάσει ἀκορέστως καὶ ὑπὲρ μέτρον ἐκέχρητο, ὥστε μὴ ἄλλο τι τοῦ σώματος ἀλγῆσαί ποτε, παντὸς

28. — [1] ἐν κρυφῇ *cod.*

(1) *Iliad.*, II, 489.

ὄντος ὑγιεινοτάτου καὶ ἐρρωμενεστάτου, ἢ μόνον τοὺς πόδας διὰ παντός, οἳ δίκην ἀσκῶν ἐκ τῆς τοῦ αἵματος καταρρεύσεως καὶ τῆς ἀνενδότου στάσεως ἦσαν πεφυσημένοι καὶ ἔξογκοι καὶ τῷ πάχει κίοσιν προσεῴκεισαν. Τὸν οὖν οὕτω καλῶς περὶ τούτων διανοησάμενον καὶ οὕτω κατὰ παθῶν ἀνδρικῶς διαγωνισάμενον οὕτω τε σωφρόνως καὶ δικαίως τὸν ἑαυτοῦ βίον οἰκονομήσαντα τίς ἄρα ὑπερβαλεῖται, κἂν εἰ λίαν φιλότιμος εἴη τῇ σπουδῇ καὶ ἁμιλλητήριος; Ἐνὶ γὰρ τοῦτον[2] ἀνάγκη χωλεύειν καὶ ὑποσκάζειν, κἂν τοῖς [fol. 226v] λοιποῖς ἅπασιν ἀγαθοῖς ἔρρωται, ἄνθρωπον ὄντα καὶ τῆς κάτω καὶ γεώδους μετέχοντα κράσεως, καὶ ἡδονῶν μὲν κρατοῦντα ἡττᾶσθαι θυμοῦ, θυμῷ δ' αὖθις ἀπομαχόμενον καὶ νικῶντα ταῖς ἡδοναῖς ὑπείκειν. Ὁ δέ, συνελόντα φάναι, ὥσπερ μιᾶς πασῶν τῶν ἀρετῶν ἀντείχετο καὶ πάσας ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν εἶχε καὶ φρονήσει μὲν θείᾳ καὶ σταθερᾷ τῆς τοῦ βίου συγχύσεως καταστοχασάμενος διέπτυσεν ἀθρόον τὸ τούτου κοῦφον καὶ ἄστατον, ἀνδρικῷ δὲ λογισμῷ καὶ γενναίῳ μέχρις αἵματος πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἀντικατέστη. Τὸ γὰρ μαλακόν τε καὶ χαῦνον ὡς αὐξητικὸν τῶν παθῶν καὶ τῆς γυναικείας φύσεως ἀπωθεῖτο καὶ ἀπεβάλλετο, σωφροσύνῃ δ' εἴ καί τις ἄλλος διέλαμψε[3]· τὸ δὲ κεφαλαιωδέστερον, δικαιοσύνης ζυγοῖς καὶ ταλάντοις πάντα τὸν ἑαυτοῦ βίον ἐξίσωσέ τε καὶ ἀπηύθυνεν, ὡς μήτε ταῖς ὑπερβολαῖς δοκεῖν τὸ καλὸν οὐ καλὸν μήτ' αὖ ταῖς ἐλλείψεσι διὰ τῆς τῶν ἐναντίων ἐπεισαγωγῆς τὴν ἀρετὴν ἀτιμάζεσθαι.

29. Ἀλλὰ καιρὸς ἤδη καὶ τὴν [fol. 227r] ἀνάλυσιν αὐτοῦ προσειπεῖν, ἣν γνοὺς τοῖς συνοῦσι προεῖπεν τὰ μὲν πρῶτα τῆς ἐν τῇ τελευταίᾳ αὐτοῦ κατακλίσεως ἀρρωστίᾳ δι' ὀνειράτων καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ἀμυδρῶς. Ἔδοξε γὰρ αὐτὸν ἑστάναι ἐν τῷ τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ σοφίας τεμένει, ἔνδον τοῦ θυσιαστηρίου, ἐν ᾧ χρύσεον θεασάμενος χιτῶνα ἀμφιάσασθαι τοῦτον παρὰ τῶν ἑστώτων ἐκελεύετο. Διαφανεῖς δὲ οὗτοι καὶ λαμπροὶ ὑπῆρχον τὴν θέαν. Ὃν ἀπηνήνατο περιβαλέσθαι, σταθμὸν ἕλκοντα χρυσίου πολύν. Τὴν δὲ μητέρα σὺν τοῖς λοιποῖς ἱσταμένην εἰπεῖν φησι πρὸς αὐτόν· Ὡς ἀναντιρρήτως, ὦ τέκνον, περιβαλέσθαι τοῦτον ὀφείλεις. Ἃ διεξιὼν τοῖς ὑπ' αὐτὸν φοιτηταῖς καὶ ἄλλου ἄλλο λέγοντος εἶναι, αὐτὸς ἔφη· Οὔ, τέκνα ποθούμενα, ἀλλ' ἡ γῆ με μετὰ μικρὸν καλύψει· ταύτην γὰρ τὸν χρυσοῦν εἶναι διέκρινε χιτῶνα, θείᾳ σοφίᾳ καὶ διακρίσει πεφωτισμένος τὸν νοῦν. Καὶ πρῶτα μέν, ὡς εἴρηται, τοιούτῳ τρόπῳ τοῖς ὑπ' αὐτὸν τὰ περὶ τῆς [fol. 227v] ἐκδημίας ἐδήλου· ἔπειτα δὲ καὶ obitus.

— [2] τοῦτο *cod.* — [3] *ita cod., forte corrigendum* διέλαμπε.

ἀναφανδὸν ταύτην ἐξεῖπεν, ὡς ἔσται τῇ θείᾳ καὶ μεγάλῃ τῶν ἱερῶν ἑβδομάδων, τόνδε τὸν μῆνα καὶ τήνδε τὴν ἡμέραν. Ἧς φθασάσης, πολλὰ ἐπισκήψας τῶν ἐχομένων σωτηρίας ᾤχετο, τὴν αὐτοῦ Θεῷ μὲν παραθεὶς τὴν ψυχήν, θείοις δὲ ἀγγέλοις παραπεμφθείς, ὧν τὸν βίον ἐπὶ γῆς ἔτι περιὼν ἐμιμήσατο. Οὐ μὴν ἀνεπισκιάστους καταλέλοιπε τοὺς αὐτοῦ, οὐδ' ἀφοίτητός ἐστι τοῖς ἐπικαλουμένοις, ἀλλὰ νῦν μᾶλλον ἢ πρότερον τερατουργεῖ, ἐπιστατεῖ τῶν χρῃζόντων, παντὸς ἐπιτηδεύματος καὶ ἡλικίας καὶ ἀξιώματος, καὶ ἐπὶ παντὶ πάθει συμπτώματί τε καὶ συναντήματι, ὧν τὰ μνημονευόμενα παραθήσομεν εἰς ἔνδειξιν καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τῆς ἐκείνου περὶ ἡμᾶς προμηθείας καὶ χάριτος.

Miracula ab eo patrata.

30. Φίλιππός τις σαγοπώλης (1) εἴθιστο τῷ ἁγίῳ παραβάλλειν διὰ τὴν τέχνην. Οὗτος νόσῳ κατασχεθεὶς βαρείᾳ κατὰ τὴν οἰκείαν χώραν παραλελυμένος ἔκειτο διετῆ χρόνον. Ὃν ἐλεήσας ὁ μακαρίτης νυκτὸς [fol. 228ʳ] καθεύδοντι φαίνεται, τοιάδε ἐγκελευόμενος· Ἐγερθεὶς ἄπιθι πρὸς τὴν μονὴν τὴν πρὸς τῷ Ξηρῷ Χωραφίῳ κειμένην, καὶ ἀπαλλαγήσῃ τῆς παραλύσεως. Τοῦ δὲ τὸ ἀδύνατον προβαλλομένου καὶ προτείνοντος τὸ ἀνόρθωτον· Οὐ χωρεῖ[1], ἔφη, συστῆναί σε οὐδὲ τὸ ὑγιὲς ἀναλήψεσθαι παρακούσαντα. Ὁ μὲν οὖν ταῦτα ἐπισκήψας ἀπηλλάγη. Ὁ δὲ διϋπνισθεὶς συμβαλών τε τὸν φανέντα καὶ ἃ προσεῖπεν, ἤδη δέ τινος κουφισμοῦ καὶ μεταβολῆς τοῦ πάθους μετρίας αἰσθόμενος (οὐ γὰρ ἀχαρίτωτοι τῶν ἁγίων οὐδὲ αἱ ὄψεις), ἐπιβὰς τοῦ ὀχήματος ἧκεν εἰς ἣν ἐκελεύσθη μονήν. Εἶτα τῇ λάρνακι προσπεσὼν ἐπιδακρύσας τε καὶ προσφθεγξάμενος, ὅσα εἰκός, ὠρθώθη, οὐ πλεῖον τῶν τριῶν νυχθημέρων προσμείνας τῇ λάρνακι, τέλεόν τε ἀπαλλαγεὶς τοῦ νοσήματος ᾤχετο, δοξάζων τε ὁμοῦ τὸν Θεὸν καὶ τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ θεράποντι χάριτας ὁμολογῶν, χαίρων καὶ εὐφραινόμενος.

31. Ἄρτι τοῦ θέρους ἀρχομένου, καὶ τῶν σπερμάτων κα[fol. 228ᵛ]ταντησάντων εἰς τὸ οἰκεῖον τέλος, ἐφ' οἷς γεγήθασι γεωργοὶ τὰς δρεπάνας τε θήγουσι καὶ πρὸς τὸν ἀμητὸν εὐτρεπίζονται, πῦρ ὑφήφθη μακρὰν τῆς μονῆς, οὐκ οἶδ' ὅθεν ἐκριπισθέν, καὶ τῆς ὕλης πολλῆς οὔσης δραξάμενον κατηθάλου τὰ προστυχόντα καὶ εἰς ἀφανισμὸν τὸ σχῆμα μετέστρεφε. Παρατεῖναν δ' οὖν εἰς κόλπον ἑαυτὸ καὶ ἡμικύκλιον σχῆμα διεργασάμενον τὴν ὁρμὴν ἐπὶ τὸ μοναστήριον ἐποίει τὴν πολλὴν καὶ ἀκάθεκτον·

30. — [1] χωρεῖν *cod.*

(1) Sagorum propola. Ducange, s. v. Haec vox alibi non occurrit.

τοὺς δὲ μοναχοὺς περιλαβόντας ὕλας καὶ ἀνθισταμένους μηχαναῖς ἁπάσαις καὶ ἐπινοίαις, διατέμνοντας, ἀντεξάγοντας, ἀπράκτους ἀπέφαινεν οὐδὲν ἧττον ἢ τὸ μηδὲν ἀντιβαίνοντας· ἐπιφόρου γὰρ ὄντος τοῦ πνεύματος καὶ δαψιλοῦς τῆς ὕλης καὶ συνεχοῦς ἄλλως τε καὶ ὑπ᾽ ἀναστήμασιν ἐπερχομένης κειμένης καὶ ὑποπιπτούσης ὡς ἐν στόματι χαίνοντος, ὑπερβαῖνον τὰς διακοπὰς τῶν ἀνδρῶν ὥσπερ ὑπόπτερον εἴχετο τὰ ἑξῆς συλλαμβάνον ὡς ἀκμαιότερον· οὕτω τοίνυν προϊόντος...

Reliqua desunt.

APPENDIX

de domo τοῦ Μωσελλοῦ.

Legimus S. Nicephorum puerum a parentibus Constantinopolim abductum traditum fuisse magistro qui ab auctore vocatur μάγιστρος τοῦ Μωσελλοῦ (1). *Ad haec verba in margine sequentia notavit scriba codicis nostri :* Hic citra dubium magister est eius monasterii conditor quod Mosele nuncupatur. Οὗτός ἐστιν ἀναντιρρήτως ὁ μάγιστρος ὁ κτήτωρ τῆς τοῦ Μωσηλὲ ἐπονομαζομένης μονῆς. *Censebat proinde domum* τοῦ Μωσελλοῦ *monasterium fuisse, illudque conditum saeculo X. Non raro apud scriptores Byzantinos occurrit nomen Moselis, quo tam personae quam aedes designantur. Porro, qui legat ad varios hosce locos commentatorum illustrationes, ille, quo se vertat plane nescit in confusa nominum similium rerumque dissimilium congerie. Quamquam vix sperandum est rei tam obscurae perfectam lucem iam affundi posse, conabimur tamen varios textus sedulo conferendo, eosque qui ad rem minime videntur, removendo, quaestionem plenius tractaturis planiorem viam parare. Indicandi primo limine loci in quibus de domo, seu collegio monasteriove Moseliano agitur; alios deinde afferemus in quibus vir aliquis Moseles nomine laudatur.*

In Vita Nicephori domus τοῦ Μωσελλοῦ *procul dubio est schola puerorum, diserteque designatur nomine* διδασκαλείου (2)*; fueritne etiam monasterium necne in medio relinquitur. Non fuisse varia indicia innuunt, et illud maxime quod Nicephorus iam presbyter et clericus palatinus, sed nondum monachus, collegio* τοῦ Μωσελλοῦ *adscriptus fuerit, a quo etiam, nescio quas ab causas, discedendum putaverit* (3). *Porro, celebrem aliquando fuisse Constantinopoli Museum, puerorum*

(1) *Vitae* c. 4. — (2) *Vitae* c. 5. — (3) *Vitae* cc. 6, 7, 8, 9.

institutioni deputatum, et a Muselio quodam propriis sumptibus fundatum, docemur triplici epigrammate columnae porphyreticae, quae in Philadelphio posita erat (1), *inscripto* (2). *Primo ex hisce carminibus, Muselius velut huius musei,* adulescentum spei, *auctor ita laudatur :*

Εὔνους μὲν βασιλεῖ Μουσήλιος· ἔργα βοῶσιν
δημόσια· σθεναρὴν πράγματα πίστιν ἔχει.
Μουσεῖον Ῥώμη δ' ἐχαρίσσατο, καὶ βασιλῆος
εἰκόνα θεσπεσίην ἐντὸς ἐγράψε δόμων·
τιμὴν μουσοπόλοις, πόλεως χάριν, ἐλπίδα κούρων (3)...

In tertio vero :

Μουσείου τὰ μὲν αὐτὸς ἐτεύξατο (4).

De uno eodemque gymnasio apud hagiographum et in inscriptionibus agi valde probabile est, neque nomen Μουσηλίου *in epigrammate, alias vero* Μωσελλοῦ *pro* Μωσηλέ, *cuiquam negotium facesset* (5).

Porro, cuiusdam domus τοῦ Μωσηλὲ *situm definit anonymus Bandurii :* Εἰς δὲ τὸ Χρυσοκάμαρον ἦν ὁ οἶκος τοῦ Μωσηλέ (6), *quocum conferendus Codinus :* Εἰς δὲ τὸ Χρυσοκάμαρον (7) τὸ πλησίον τοῦ ἁγίου Ἀκακίου, ὅπου ἔστι τοῦ Μωσηλὲ ὁ οἶκος Χριστοῦ ὑπῆρχεν εἰκονισμός (8). *De eadem, ni fallor, domo sequentem versum scribit Iohannes Tzetzes :*

Ἡ νῦν μονὴ τοῦ Μωσηλέ, τοῦ Μοσηλὲ ἦν οἶκος (9).

Nec ille solus de monasterio huius nominis meminit, sed et τὴν τοῦ Μοσελὲ μονὴν *pluries memoratam reperies apud Georgium Pachymerem* (10), *et eandem noverat auctor scholii quod initio citavimus* (11).

In textibus hucusque allatis, nomine Moselis tria nuncupantur, schola nempe, domus, οἶκος, *et monasterium. Si his omnibus unum*

(1) Ducange, *Constantinopolis christiana,* l. II, n. 65, et Bandurii not. ad *Antiquitates Constantinop.*, nn. 51, 294. — (2) *Anthologia palatina,* l. IX, nn. 799, 800, 801; etiam apud Banduri, *Imperium orientale,* t. I, 3, p. 150; duo priora apud Ducange, *Constantinopolis christiana,* l. II, n. 65. — (3) *Anthol. pal.*, l. c., n. 799; ed. Didot, t. II, p. 158. — (4) *Ibid.*, n. 801. — (5) In codice quodam quem ait esse Parisiensem Regium 3058. 4, offendit Bandurius, *op. cit.*, t. II, p. 656, formam rursus diversam, Μυσέλη. — (6) *Antiquitatum Cp.*, l. II, n. 106, Banduri, *Imperium orientale,* t. I, 2, p. 38. — (7) Quicquid dicat Banduri, ubique legendum existimo Χρυσοκάμαρον, non vero Χριστοκάμαρον, uti integrum Codini locum legenti manifestum fiet. — (8) *De aedificiis Constantinopolitanis,* ed. Bonn., pp. 107-8. — (9) Citatur apud Ducange, *Constantinopolis christiana,* l. IV, n. 8. — (10) *De Andronico Palaeologo,* l. II, c. 11; l. IV, c. 33; l. VII, c. 15; *P. G.*, t. CXLIV, pp. 153, 388, 651.— (11) Supra, pp. 137, 161.

idemque designari admittas, quod loci celebritas utique suadet, concludas oportet S. Nicephorum litteris imbutum fuisse in gymnasio puerorum a Mosele seu Muselio quodam exstructo, haud longe ab ecclesia Sancti Acacii, videlicet in regione X urbis (1)*; illud autem temporis progressu in monasterium conversum fuisse, et quidem vel saeculo XII vel forsan paulo antea; id enim colligere fas est ex aetate scriptorum rem enarrantium.*

Iam, minime neglegenda est occasio inquirendi quisnam ille fuerit Moseliani gymnasii conditor; plures enim, iique non obscuri, Moseles in historiis occurrunt. Antiquiorem ideo tantum citamus ne cum sequentibus forte confundatur. Is est Alexius Moseles dux, qui contra Constantinum VI et Irenem (780-790) rebellavit, scelerisque poenas, effossis oculis, dedisse narratur (2)*. Ab illo Moselis domum conditam fuisse nullis indiciis comprobatur.*

Alius sub Theophilo (829-841) laudatur Alexius Moseles quem non uno signo tanquam loci patronum designari quis credat. Etenim, postquam eius uxor Maria, Theophili filia, fatis excesserat, saeculum reliquit, et coenobium Anthemii quod ipse construxerat, ingressus est, ubi ad finem usque vitae permansit (3)*. Dubitavit Ducange* (4) *an forte monasterium Anthemii illud ipsum fuerit quod* μονὴν τοῦ Μωσηλὲ *vocitatum legimus. Verum nulli haec coniectura testimonio innititur, immo monasterium Moselis a Iohanne Tzetze alii cognomini diserte tribuitur, uti ex dicendis patebit.*

Tertius enim Constantinopoli claruit Alexius Moseles, temporibus Romani Lacapeni; qui contra Bulgaros pugnans in mari suffocatus interiit(5)*. Iam autem, expressis ille verbis a Tzetze designatur tanquam a quo* οἶκος τοῦ Μωσηλὲ *nomen sortitus sit :*

Ἡ νῦν μονὴ τοῦ Μοσηλέ, τοῦ Μοσηλὲ ἦν οἶκος
Ὅς Μοσηλὲ πρὶν στραταρχῶν Βουλγάροις ἡττημένος

(1) Mordtmann, *Esquisse topographique de Constantinople*, Revue de l'art chrétien, IVe série, t. II (1891), pp. 28, 477. — (2) Ephraemii *Caesares*, vv. 1900-1908, *P. G.*, t. CXLIII, pp. 81-84, ubi dicitur Μωσηλέ τις ἀνὴρ στρατηγὸς δεξιὸς πρὸς μάχας; Cedrenus, *Histor. compendium*, ed. Bonn., t. II, p. 25, illum vocat Ἀλέξιον τὸν Μωσηλέ; Zonaras, *Annal.*, l. XV, c. XI, ed. Paris, p. 117, τὸν σπαθάριον Ἀλέξιον καὶ δρουγγάριον τῆς βίγλας τὸν Μωσηλέ. — (3) Ephraemii *Caesares*, vv. 2380-2397, *l. c.*, p. 100 :

Ἀλεξίῳ δὲ τῷ Μωσηλὲ τοὐπίκλην
Ἐξ Ἀρμενίων Κρηνιτῶν λαμπροῦ γένους κτλ.

Cedrenus, *Hist. comp.*, *l. c.*, pp. 118-119; Zonaras, *Annal.*, l. XV, c. 27, *l. c.*, pp. 115-116; Leo Grammaticus, *Chronographia*, ed. Bonn., pp. 216-27. Cfr. Ducange, *Familiae Byzantinae*, ed. Paris., pp. 133, 134. — (4) *Constantinopolis christiana*, l. IV, n. 8. — (5) Cedrenus, *Histor. comp.*, ed. Bonn., t. II, p. 299. Οἷς συνῆν, sic ille, καὶ ὁ πατρίκιος Ἀλέξιος καὶ δρουγγάριος τῶν πλωΐμων ὁ Μωσηλὲ μετὰ τῶν ὑπ' αὐτόν.

Τῷ πέραν μέρει τῶν Πηγῶν, μέλλων φυγεῖν εἰς πλοῖον,
Ἀποτυχών, εἰς θάλασσαν ἄνοπλος ἀνεπνίγη (1).

Adeo expressum testimonium, licet ab auctore non coaevo prolatum, cum nulli hucusque cognito adversetur, profecto accipi potest; unde et Moseles ille, qui saeculo X vixit, minime diversus censendus est ab illo cuius laudes porphyreticae columnae in Philadelphio inscriptae legebantur (2).

Omittendum hic non est primi ex citatis carminibus initium suo momento non carere. Incipit enim :

Εὔνους μὲν βασιλεῖ Μουσήλιος (3),

quae ad eunuchi titulum respicere admisit Ducange (4) *et cum eo gallici* Anthologiae *editores* (5): *hinc illi quidem visum fuit Muselium nostrum eum ipsum esse qui in lege codicis Theodosiani* (6) praepositus sacri cubiculi *dicatur, cum haec dignitas eunuchos praecipue spectaverit, qui ab eadem non semel* ἀρχιευνοῦχοι *et* πρῶτοι τῶν εὐνούχων *dicti fuerint. Mihi quidem non adeo certum est hanc vocem* εὔνους *eunuchum semper designare, eosque omnes qui hac utantur quasi necessario verbis ludere. Quicquid id est, fueritne noster Muselius eunuchus necne, sub Theodosio iuniore vixisse negandus est.*

Citarunt Ducange (7) *et Banduri* (8) *novellam Basilii Bulgaroctoni in qua ad extremam paupertatem redacti exhibentur* οἱ τοῦ μαγίστρου Ῥωμανοῦ τοῦ Μουσελὲ ἔγγονοι (9), *eosque prodiisse opinantur ex stirpe Alexii illius quem secundo loco enumeravimus. Non ita perspicua res videtur; certe intellegenda formula est de magistro Romano Moselis, si* μάγιστρος *sumendum est pro nomine dignitatis, quod reapse frequentius est; aliquoties tamen synonymum est* διδασκάλου (10), *et in Vita Nicephori procul dubio* μάγιστρος τοῦ Μωσελλοῦ *praeceptor est seu praeses gymnasii Moseliani. Quare in novella citata Romanum*

Quae perperam a latino interprete reddita sunt his verbis : *Adfuit iis etiam Alexius patricius et drungarius rei navalis et Moseles cum suis.* Unus idemque est Alexius et Moseles. Cfr. Leonis Grammatici *Chronographia*, ed. Bonn., p. 306 : Οἷς συνῆν καὶ Ἀλέξιος πατρίκιος καὶ δρουγγάριος τῶν πλωΐμων ὁ Μουσελὲ μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, quae rursus male expressa sunt in latina versione; cum tamen paulo infra, p. 307, dicatur Ἀλέξιος ὁ Μουσελὲ δρουγγάριος. — (1) Citatus a Ducange, *Constantinopolis christiana*, l. IV, n. 8. — (2) Supra, p. 162. — (3) *Anthologia Palatina*, l. IX, n. 799, ed. Didot, t. II, p. 158. — (4) *Constantinopolis christiana*, l. II, n. 65, ed. Paris, p. 176. Ubi citat haec verba Theodoreti *De Vitis Patrum*, c. VIII : καὶ τούτου ἕνεκα εὔνοι εἶναι βασιλεῖ νομιζόμενοι, καὶ τὴν προσηγορίαν ἐντεῦθεν καρπούμενοι. — (5) *Anthologia Palatina*, t. cit., p. 247. — (6) Lib. XI, tit. 28, *De indulgentia debitorum*. — (7) In notis ad Zonaram, l. XV, n. 27. — (8) *Imperium orientale*, t. II, p. 656. — (9) Leunclavius, *Iuris graeco-romani*, Francofurti, 1596, t. II, p. 175. — (10) Sophocles, *Greek lexicon of the roman and byzantine periods*, s. v.

quempiam magistrum domus τοῦ Μωσηλὲ *memorari non improbabiliter accipi potest.*

Diximus hucusque de domo in qua S. Nicephorus educatus fuit, deque eius conditore. Qua ratione, antequam in monasterium converteretur, constituta esset, non satis compertum habemus. Praeter sacras litteras profanas quoque ibi doceri consuevisse, non tantum ex nomine Musei suadetur, sed ex eo quoque innuitur quod totis verbis notet scriptor Vitae Nicephori praepositos minime passos fuisse sincerum pueri animum mundanis disciplinis commaculari (1). *Discipulos domum non incoluisse eruitur ex loco Vitae ubi Nicephorus a matre cotidie ad scholam ductus exhibetur* (2).

INDEX VOCABULORUM MEMORABILIUM

Asterisco * notatae sunt voces quae in lexicis non occurrunt.

(1) Cap. 4 ex. — (2) Cap. 5.

LEGENDA

BEATI FRANCISCI DE SENIS

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

EDIDIT R. P. PEREGRINUS SOULIER

EIUSDEM ORDINIS

B. Francisci Patritii Legenda, quam publici iuris facturi sumus, non est prorsus inedita : pars enim saeculo proxime elapso typis mandata est in *Positione super cultu ab immemorabili* (1), p. 15-28 inclusive. Sed quia canonizationis processus in paucissimorum manibus versantur, parum iuvaret omissas partes tantum edere. Praeterea tot mendis referta est pars iam edita, ut inutile non sit hanc etiam recudere; ut enim de primo folio tantum loquar, huius generis in eo leguntur menda : *patrem* loco *pater*, *crediderant* pro *crediderat*, *pie* pro *prae*, *nonnullos* pro *multos*, *imaginem* pro *virginem*, et ita porro.

Ut alias diximus de B. Ioachimo agentes (2), haec B. Francisci una cum B. Ioachimi Legenda, cura R. P. Callixti Palombella, rerum Ordinis sui apprime studiosi, ex codice manuscripto saeculi decimi quarti anno 1726 descripta fuit. Hoc autem apographum, chartaceum, n. 28 signatum, formae mediae (0,267 × 0,195), octo foliis constat, quorum duo scriptura vacant. Codex autem primigenius, qui Fulginei in conventu Servorum tunc asservabatur, sed hodie non amplius invenitur, erat, (ut tradunt tum duo *periti* qui illum accurato examini subiecerunt *fidem*que sub fine apographi scripserunt, tum R. P. Palombella in litteris quas cum apographo Romam misit), formae in quarto, membraneus, binis columnis exaratus saeculo decimo quarto; tituli et initia paragraphorum rubricata erant, maiores vero litterae in decursu narrationis, caerulei coloris; litterarum ductus magni, quadrati, antiqui, magis ad romanam quam ad gothicam accedebant formam. Continebat Vitas sanctorum, quas Pater Palombella, codicem cum Veneta Legendae Aureae editione anni 1478 conferendo, facile comperit non esse alias

(1) *Senensis. Canonizationis B. Francisci Patritii, sacerdotis professi Ord. Serv. B. M. V. Positio super dubio : An sententia lata ... super cultu ab immemorabili tempore praedicto beato exhibito, seu super casu excepto ... sit confirmanda.* Romae, 1743, fol. — (2) *Anal. Boll.*, t. XIII, p. 383.

quam illas quas scripsit Fr. Iacobus a Voragine. Post Vitam vero Pelagii, et historiam Longobardorum, quae huic Vitae commixta est, sequebatur sermo in dedicatione ecclesiae; dein eadem manu, sed atramento magis nigro, in eadem pagina in qua desinebat sermo, incipiebat B. Ioachimi Legenda, quam sequebatur B. Francisci Vita, quae ultima erat. Post hanc legebantur *quaedam miracula*, quae etiam dabimus, eadem manu conscripta, sed interrupta ad haec verba, *ita ut omnes puta*,.. quia deerat unum vel plura folia. Ultimum miraculum *Puer quidam*, minori charactere, sed antiquo pariter exaratum, in maiori margine, in ima parte secundae columnae ultimi folii descripta erat.

Tandem in ultimo folio, membraneo, sicut et cetera folia, nihil aliud erat scriptum, praeter nomen possessoris vel amanuensis codicis, partim tamen erasum, ita ut haec tantum legerentur.

Hic liber. . . . . . . *fratris Benedicti Gerij*
. . . . *Ordinis Servorum Sancte Marie*
. . . . *XXII*. . . . .
. . . . *honor et gloria. Amen.*

Hic Frater Benedictus, filius Gerii, est idem qui n. 52, sub fine Legendae, sermone non nihil imperito, suae ipsius sanationis narrationem addidit. Conferendo quae ibidem de se dicit cum verbis superius relatis, forte conicere liceret ipsum, quando Senis degebat, vel descripsisse vel describendam curavisse utramque, beatorum scilicet Ioachimi ac Francisci, Legendam, ex ipsius auctoris exemplari, et hoc suum exemplum Fulgineum, ubi postea vixit, secum tulisse. Tempus autem quo hoc factum fuerit facile definiretur, si sciremus quo tempore Frater Christophorus de Parma Prioris Generalis vicarius fuerit, vel saltem cuius Generalis vicarius: Frater enim Benedictus dicit Fratrem Christophorum tunc *domini Generalis dignum vicarium* esse. Sed nihil hac de re in *Annalibus Ordinis* traditum est, nisi quod, dum Generalis Vitalis Avanzi annis 1359-1361 apud Aegypti sultanum, ex legatione sibi ab Androino cardinali Summi Pontificis vicario commissa, degeret, Ordo per vicarios regebatur (1). Si nota XXII, de qua supra, ad annum non ad mensem pertinet, tunc probabiliter agitur de anno 1372 vel 1382 [MCCCL] XXII vel [MCCCLX] XXII. Sed ita Fr. Christophorus, qui B. Francisci confessarius fuerat ac proinde ante annum 1300 natus, senio confectus, vicarii generalis munus vix potuit exercere. Nil ergo certi habemus.

Diximus supra codicem Fulginatem non amplius inveniri. Pariter periisse videtur ipsum Fratris Christophori exemplar, ex quo suum Frater Benedictus descripserat, et quod Senis asservatum fuisse satis probabile est. Pater Palombella, in litteris iam laudatis, dicit se Senas, Florentiam ac Romam scripsisse, ut certior fieret num in conventibus harum urbium aliud antiquum exemplar harum Legendarum *et quorundam miraculorum* quae sequuntur, asservaretur; sed frustra. Quantum ad Senas, nihil mirum : plurimi libri et codices manuscripti saeculo decimo sexto

(1) *Annales Ordinis Servorum*, t. I, p. 312, col. 1.

incendio perierunt. Non improbabile tamen existimamus aliquod exemplar alibi exstare incognitum : quaedam enim recenter detecta sunt monumenta quae omnino pessum ivisse putabantur.

Quamvis autem perierint antiqua exemplaria, certi tamen sumus duas Legendas fideliter exscriptas fuisse. Pater enim Palombella, antiquitatum Ordinis apprime gnarus neque regularum critices imperitus, prout eius varia testantur opera, nos in iam saepius allegatis litteris certiores facit se diligentem curam impendisse, ut quales essent in codice, tales plane describerentur ambae Legendae, orthographia, interpunctione, maioribus et minoribus litteris, ac mendis ipsis ad unguem servatis.

De auctore huius Legendae nulla est difficultas : eum fuisse quendam Fratrem Christophorum de Parma docet nos Frater Benedictus, in additione de qua iam supra. Quod confirmatur ex eo quod auctor ipsi n. 26 referat quae B. Franciscus de morte sua proxima praedixerat. Illa vero ut Fratri Christophoro de Parma referret neque ulli alii manifestaret, *facie quasi comminanti*, confessario suo iniunxerat beatus. Hic autem Frater Christophorus, sicut eodem loco apparet, carissimus B. Francisco fuerat, eius intimus consiliarius, quin etiam eius confessarius; quod etiam n. 8 apparet, in quo legimus illum confessiones beati iam senis audivisse. Nomen autem filii quo utitur beatus, ostendere videtur Christophorum ab eo ad vitam religiosam educatum fuisse. Quod si fuerit etiam auctor Legendae B. Ioachimi, ut probabile esse supra diximus (1), ante annum 1305, quo B. Ioachimus obiit, Ordinem Servorum ingressus fuisset. Tempore autem quo scribebat Frater Benedictus Gerii, erat, ut iam vidimus, Prioris generalis *vicarius*. Prius autem anno, scilicet 1330, provincialis Tusciae fuerat quidam Frater Christophorus de Parma, qui noster esse videtur.

Nunc autem quaestio satis implexa agitatur. In *Memoriis* Fratris Nicolai, quas iam citavimus ubi agitur de B. Joachimo (2), legitur quaedam *Memoria miseranda*, in qua hic auctor coaevus, de mala administratione Petri de Tuderto, qui Generalis fuit ab anno 1314 ad annum 1344, conquestus, addit praecipuam tantae iacturae causam magna ex parte refundendam in Fratrem Christophorum de Parma, *Generalis pessimum consiliarium* (3). Quod confirmatur ex bulla Benedicti XII, Avenione II kalendas ianuarii anno septimo (31 decembris 1341) data, in qua legitur Christophorum et Paulum de Parma germanos ac duos alios, vicarios per Petrum de Tuderto constitutos, magis partialiter quam dictum Petrum et deterius se gerere, ac proinde alios eis substitui (4).

Estne hic Frater Christophorus idem ac auctor nostrae Legendae, an alius eiusdem nominis? Pater Palombella, in quadam charta quae invenitur cum

(1) *Anal. Boll.*, t. XIII, p. 384. — (2) Ibid., p. 383. — (3) *Ricordi del P. Niccolò Mati...* per fra Agostino Morini, p. 139. Haec autem *memoria*, ex modo loquendi auctoris, scripta videtur adhuc viventibus Petro de Tuderto ac Christophoro, proinde ante annum 1344 quo mortuus est prior. — (4) Regesta Vaticana, vol. 129, f. 315v, a. VII, litt. riiij. Istam bullam non cognoverunt auctores *Annalium Ordinis*.

Legenda, et alii cum eo, posteriorem sequuntur hypothesim. Quomodo enim, aiunt, potuisset B. Franciscus confessarium sibi deligere, et intimum et dilectissimum habere, ac filium suum vocare, virum qualis fuit hic Frater Christophorus? Praeterea, quomodo beati confessarius et familiaris esse potuisset, qui ratione officii cum Petro de Tuderto commorari debuisset? Tandem quomodo a Fr. Benedicto dictus esset *domini generalis dignus vicarius?*

Haec argumenta, quae prima facie solidae videntur, ei tamen qui rationes temporum observaverit, fere omne suum robur amittunt. Agitur enim de diversis omnino temporibus. Nam ex una parte B. Francisci verba superius relata, anno 1328 prolata sunt; hoc autem tempore nondum querebantur fratres de malo regimine Petri de Tuderto. Ex alia parte, quando scribebat Fr. Benedictus, post annum 1350 scilicet, omnes contentiones iam a pluribus annis sedatae erant. Matthaeus enim de Castro Plebis, quem post obitum Petri de Tuderto (1) Clemens VI, bulla Avenione III nonas decembris anno tertio (3 decembris 1344) data, toti Ordini praefecerat (2), prudentia ac sanctitate res in melius paulatim redegerat; proinde Fr. Christophorus, calamitatibus eruditus, ad meliorem frugem reverti, paenitentiam agere ac pristinum fervorem resumere facile potuerat. Et cum esset vir non parvi ingenii, nil mirum si aut Generalis Vitalis Avanzi, aut eius successor, eum vicarium constituerit, in quo officio sic se recte gesserit, ut dignus vicarius dici potuerit. Quod si institeris et quaesieris quomodo vir huius virtutis quam supponit amicitia cum B. Francisco, sic se male gerere potuerit ac tot malorum Ordini causam esse, respondebo agi primo de temporibus turbulentissimis, schismatis scilicet Ludovici Bavarici, ac turbas non in Servorum solum, sed in aliis quoque Ordinibus excitatas fuisse; dein verisimile esse adversarios Petri de Tuderto eius culpas auxisse, ut fere accidit in talibus de regulari observantia controversiis; tandem Petrum de Tuderto ipsum, qui testibus etiam suis adversariis, primo egregius Generalis fuerat quique ab ipso S. Alexio Falconerio, uno ex septem sanctis Fundatoribus, educatus fuerat (3), postea tamen male se gessisse, ac idem etiam Fr. Christophoro de Parma accidere potuisse. Nihil aliud hoc probat nisi humanae voluntatis inconstantiam ac debilitatem.

Attamen, etsi rationibus Patris Palombella facile respondetur, non ideo sequitur eundem esse auctorem Legendae nostrae cum consiliario Generalis Petri de Tuderto. Facillime enim fieri potuit ut duo simul fuerint in Ordine fratres Christophori de Parma, sicut paulo antea exstiterant tres fratres Andreae de Burgo S. Sepulcri, B. Andreas scilicet Dotti, Andreas Balduccii, et Andreas Homodei seu Amodei (4), et quattuor fratres Francisci de Senis, scilicet Franciscus

(1) Vulgo creditur Petrus de Tuderto in eremitorio Sancti Ansani prope Bononiam anno 1346 obiisse. Ex bulla autem de qua loquimur, constat eum anno 1344 Avenione mortuum esse; sic enim legitur: *Nuper siquidem, prioratu generali fratrum Servorum Sanctae Mariae... per obitum quondam Petri de Tuderto, prioris generalis dictorum fratrum, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, vacante...* — (2) Regesta Vaticana, vol. 163, f. 61, anno III, litt. XLVI. — (3) *Ricordi*, pp. 65 et 139. — (4) Hi tres nominantur in variis instrumentis. *Annalium* auctores

Arrighetti (noster beatus), Franciscus Donati, quem non raro confuderunt cum beato, Franciscus Burnaccii, et Franciscus Salvani (1). Res ergo incerta manet, quamvis nobis probabilius videtur eundem fuisse nostrum ac consiliarium Petri. Anno enim 1328 Senis iam non degebat, ut n. 26 apparet, forte quia tunc cum Petro de Tuderto commorabatur.

De tempore autem quo compilata est haec Vita seu Legenda, nihil certi statui potest, nisi quod anno 1348 posterior sit, cum auctor n. 22 loquatur de quodam fratre qui in celebri huius anni peste mortuus est: immo non videtur loqui de ea re ut de recenti. Forte error, quo auctor n. 30 Ascensionem die 26ª loco 12ªª maii posuit, indicaret illum vel amanuensem anno 1351 vel 1362 vel 1373 scripsisse, quo Ascensio tali die celebrabatur, si admittatur, ut Palombella suggerit, hunc errorem ex eo provenire quod Senis festum beati non die mortis eius, sed die Ascensionis celebraretur, auctorque vel amanuensis anno quo Ascensio in diem 26ªm maii incidisset scripserit.

De fide autem quam meretur auctor nihil addere necesse videtur. Cum enim fuerit B. Francisci familiaris et confessarius, eumque intime noverit, facile quae refert cognoscere poterat. Ipse praeterea n. 7 testatur se nihil de virtutibus eius asserere quod ipse non viderit, vel ex eius ore hauserit. Quae autem non vidit ex aliis testibus fide dignis didicit.

Nunc vero non pauca de B. Francisci vita elucidanda sunt. A tempore enim Gianii (1618) magna apud scriptores viget confusio quam ab ipso deceptus non satis vitavit qui in *Actis SS.* (2) beati Vitam ex Poccianti et ex depositionibus testium, in causa beatificationis anno 1622 factis, concinnavit. Alii enim illum anno 1265, alii anno 1273 natum esse contendunt: alii eius ingressum in Ordinem anno 1285 illigant, alii anno 1295 vel etiam 1298; fere omnes tandem eum anno 1326 mortuum asserunt, vel etiam 1325. Praeterea Gianius, Garbius et alii, similitudine nominis decepti, ipsi ea tribuerunt quae a fratre Francisco Donati supra nominato gesta sunt. Talia secum pugnantia, et alia non pauca quae omitto, non solum apud diversos auctores sed apud eundem inveneris: sic, exempli gratia, Garbi, qui Franciscum anno 1273 natum scripserat, postea *anno Domini 1326, aetatis vero suae 63*, mortuum dicit (3). Sic etiam uno loco Gianius eum asserit anno 1295 (4) receptum, alio loco anno 1297 (5). Non ergo abs re erit haec omnia distincte elucidare.

Ac primo quod ad beati nativitatem pertinet, annus 1263 statuendus est. Si enim Giani Pocciantii textum (6) attentius legisset, typi mendum irrepsisse, ac 1263 pro 1273 legendum, facile animadvertisset, cum Poccianti eum vigesimo secundo aetatis anno atque a S. Philippo Benitio anno 1285 receptum narret. Qui annus certo

crediderunt Andream Balduccii et Andream Homodei esse eundem, sed erraruut: ambo enim simul in iisdem apparent instrumentis. — (1) Primi tres nominantur simul v. g. in instrumento diei 25 ianuarii 1310, de quo infra; quartus fuit provincialis eiusque nomen apparet in variis instrumentis. — (2) *Acta SS.*, Maii t. III, pp. 655-666. — (3) *Annales Servorum*, t. I, p. 252, col. 1. — (4) *Ibid.*, p. 137 nota 1ª; ac rursus, p. 250, col. 2. — (5) *Ibid.*, p. 180, col. 1. — (6) *Chronicon rerum totius sacri Ordinis Servorum B. M. V.*, Florentiae, 1567, in-4º, pp. 74, 126 et 127.

etiam eruitur ex eo quod ex una parte Fr. Christophorus quoque bis dicat illum vigesimum secundum annum agentem in Ordinem Servorum ingressum esse (1); ex alia autem, Nicolaus, fere coaevus, eum a S. Philippo receptum et educatum fuisse asserat (2). Duodecim annos natus (3), id est anno 1275 non 1285, B. Ambrosii Sansedoni praedicationibus motus, mundum relinquere cogitavit, sed apud matrem oculis captam remanere coactus fuit. Mortua matre, vigesimum secundum agens annum (4), in Ordinem Servorum a S. Philippo Benitio exceptus et eius institutis imbutus (5). Gianius vero eum hac aetate Ordinem ingressum legens et anno 1273 natum reputans, difficultati optime occurrisse putavit, *pro veritate affirmans Franciscum primo accepisse habitum tertii ordinis per manus B. Philippi hoc anno 1285, deinde ad religionem per F. Lotheringum* (S. Philippi successorem) *anno 1295, admissum fuisse* (6). Quae fabula, a Gianio excogitata quamque alii deinde ex eo mutuati sunt, apud nullum antiquiorem legitur, suaque mole corruit, si recte tempora conferantur.

Poccianti B. Franciscum Servorum familiae adscriptum esse, cum S. Philippus Florentia Perusium iret, id est mense iulio 1285, supponit (7) : sed id anno ineunte potius contigisse dicendum est, quia S. Philippus in hoc ultimo vitae suae itinere Senis brevissimo tempore commoratus est, quippe qui Florentia die 15ª iulii profectus, ac coenobia Ordinis visitans, iam die 10ª augusti, Tudertum pervenisset (8), neque proinde beatum ad religiosam vitam instituere potuisset.

Infra triennium, cum esset circiter viginti quinque annorum (9), id est vel tempore adventus anno 1287 vel sub principio 1288, sacerdos factus est B. Franciscus. Anno vero 1298 (stilo Senensi, 1299 aerae vulgaris), X kal. aprilis (23 martii) die lunae (10), fundavit quandam fraternitatem, quae *Compagnia minore della Vergine Maria* nuncupata est (11), qua appellatione distinguebatur ab alia fraternitate B. M. in eadem ecclesia Servorum circa 1290 instituta et pro qua exstat privilegium Renaldi, episcopi Senensis, die 28 augusti 1291 datum, quo quadraginta dies indulgentiae certis diebus concedit (12). Paulo post, id est die 11 aprilis eiusdem anni 1299 prior, camerarius, consiliarii et socii omnes de fraternitate *Sanctae Mariae precis*, loci Servorum eiusdem Beatae Mariae Sancti Iacobi de Fulgineo, priori, camerario, consiliariis et omnibus de Societate Disciplinae Recommendatorum Iesu Christi Crucifixi de Senis (13), *ob paternum amorem pii patris sui fratris Francisci, prioris*

(1) Legenda, nn. 5 et 7. — (2) *Ricordi*, p. 83. — (3) *Ricordi*, ib. Cfr. Legendam nn. 4 et 5. — (4) Legenda, nn. 5 et 7; Poccianti, p. 127. — (5) *Ricordi*, p. 83; Poccianti, p. 74. — (6) *Annales*, p. 137, nota 1ª. — (7) *Chronicon*, p. 74. — (8) *Ibid.*, pp. 74 et 76. — (9) Legenda, n. 9. — (10) Anno 1299, dies 23 martii erat revera dies lunae. — (11) *Annales*, t. I, p. 180, ubi Gianius fundationis instrumentum citat. Hodie non invenitur. — (12) Instrumentum originale invenies in archivo publico Senensi, sub rubrica : *Patrimonio dei resti ecclesiasticio, Compagnie.* — (13) Haec celeberrima Senensis societas seu confraternitas, quae erat in hospitali Scalae, *della Scala* (sic dicto ex scalis per quas ad idem descendebatur), florentissima fuit, ex eaque prodierunt plurimi viri sanctitate illustres. Fortiguerri, in suis *Memorie della Compagnia della Madonna dei Disciplinati sotto le volte dello spedale, raccommandati a Ieshu Christo crocifixo, compilate per ordine del Capitolo*

dicti loci Servorum, omnium bonorum operum suorum participationem dederunt (1). Anno 1309 (stilo Senensi, 1310 aerae vulgaris) die 25ª ianuarii, Vitaleone Altimanni, civis Senensis magnae auctoritatis et in publicis officiis saepe versatus, legavit conventui Servorum S. Mariae de Senis quandam *petiam terrae, coram fratre Francisco Donati, priore fratrum Servorum Sanctae Mariae de Senis, fratre Francisco Henrighetti* (nostro beato),... *fratre Francisco Burnaccii* (2)... Eiusdem fratris Francisci Arrighetti nomen apparet etiam in quibusdam aliis instrumentis, uno diei 19 martii eiusdem anni, quo domina Gratia, filia Gerardi et relicta (vidua) Rubini, in testamento suum fideicommissarium eum relinquit (3), altero diei 8 ianuarii anni 1315 (st. Sen., 1316 aerae vulgaris), quo prior et fratres conventus eum cum pluribus aliis syndicum et procuratorem ad diversas causas faciunt (4), tertio diei 20ªᵉ maii anni 1325, in quo inter fratres cuidam contractui praesentes nominatur (5). Tandem ad ostendendum eum non anno 1326, ut vulgo putabatur, sed postea mortuum esse, Fr. Buondelmonte in ea quam incoeperat B. Francisci Vita manuscripta, citat instrumentum anni 1327, indictionis 10, diei 22 mensis maii, in quo *frater Nicolaus Amadoris, prior capituli et conventus fratrum Servorum S. M. de Senis, cum consilio, consensu ... fratris Francisci Arrighetti* (6)...

Quae autem a Gianio et aliis post eum traduntur, Franciscum scilicet nostrum a clero Senensi ad Clementem V missum fuisse (7), concilio Viennensi interfuisse, sermones edidisse, conventum Servorum Veronae fundasse, etc., non ipsi, sed Francisco filio Donati, viro pariter magnae sanctitatis, tribuenda sunt. De quo vide quae disserit R. P. Aug. Morini in appendice ad *Memorias* Fratris Nicolai (8).

Tandem B. Franciscus non anno 1326 mortuus est, ut contendunt fere omnes qui eius historiam texuerunt, Borghesius (1483), Thomas de Verona (1507), Poccianti (1567), Alasia (1622), Annales (1618 et 1719), Gigli (1723), Canali (1723), illum cum Francisco Donati, qui die 5 novembris 1326 obiit (9), confundentes, quod exploditur instrumento anni 1327 mox allegato, sed anno 1328, ut clare asserit

l'anno 1590, quae manuscriptae asservantur in archivo huius confraternitatis, non minus quinquaginta unum enumerat, inter quos nominandi sunt B. Ioachimus Piccolomini, B. Franciscus Patrizi, B. Bernardus Tolomei, unus ex quattuor fundatoribus congregationis Montis Oliveti prope Senas, B. Iohannes Columbini, Iesuatorum institutor, B. Raymundus de Capua et B. Guglielmus Anglicus de Lecceto, ambo familiares S. Catharinae Senensis, tandem S. Bernardinus Senensis et S. Iohannes a Capistrano. Eius capitula seu statuta edidit Lucianus Banchi. Gati, Siena, 1866, in-16. — (1) Originale exstat in archivo publico Senensi, *provvenienza della Biblioteca.* Editum fuit illud privilegium, sed cum mendis non paucis, ab abbate De Angelis in quodam ex eius opusculis. — (2) In archivo publico Senensi, *Diplomatico* ad annum, *provvenienza della Biblioteca.* — (3) Ibid. — (4) Ibid. — (5) Ibid. — (6) *Ristretto della Vita del B. Francisco* (1632 *circa), instrumentum*, n. 12. Cod. signatus B. VII. 17, in bibliotheca publica Senensi. — (7) *Annales*, t. I, p. 251. In instrumento quod ibi citat Garbius et quod hodie in archivo publico Senensi conservatur, legitur die 20 novembris 1310 Fratrem Franciscum *Donati* (non Arrighetti) absentem, et Fr. Bernardum Nuccii syndicos et procuratores capituli et clericatus Senensis constitutos esse. — (8) *Ricordi*, pp. 155-159. *Nota su diversi Franceschi coevi.* — (9) *Ricordi*, etc., p. 158. *Nota* supra citata.

Frater Christophorus de Parma in nostra Legenda (1). Omnia enim adiuncta ab eo enumerata, exceptis duobus, apprime concordant. Annus enim 1328 revera erat duodecimus Iohannis papae XXII, qui pontificatum iniit die 5 septembris 1316; indictio etiam agebatur undecima; anno 1327 prior erat Fr. Nicolaus Amadoris, ut modo vidimus, nec alium ante 1330 nominat Buondelmonte in suis *Memoriis* conventus Senarum (2). Et quidem dies mensis non concordat. Ascensio enim anno 1328 non in diem 26^{am}, sed in 12^{am} mensis maii incidit, sed neque anno 1326 vel 1327, aut ulli ex immediate sequentibus ea concordantia convenit: nescimus unde potuerit oriri hic error, nisi forte ex hallucinatione superius indicata (3). Fatendum quoque est anno 1328. non Fratrem Michaelem, sed Fratrem Angelum de Castro Florentino, secundum catalogum Provincialium Tusciae, Priorem provincialem fuisse. Frater Michael de Civitate Castelli, in instrumento diei 8 ianuarii 1316 superius citato, Provincialis signatur. Sed neque huius erroris causam assequi potuimus.

His elucidatis, ad Legendae textum tradendum transimus, quem sequentur *quaedam miracula* de quibus supra locuti sumus. Hoc solum animadvertendum superest, codici eam esse orthographiam quae communiter in huius temporis monumentis invenitur: v. g. *manxit, subiexit*; *commestionis, summere, iminuere, acersiri; felitia, sotios; sompniis, solempnia; mictere, colectetur; perhenniter, honus, exortationis, yemale, ymagine; velud, inquid*; tandem ex Tusciae pronuntiandi modo, *haritas, harissimi.*

1. Multifarie multisque modis olim, fratres carissimi, loquens Deus patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in servo suo Francisco, quem Pater misericordiarum de tenebris vocare dignatus est in admirabile lumen suum, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, ut ait summus theologorum Apostolus, sobrie, iuste ac pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem, scilicet futuram gloriam fidelibus in stadio currentibus repromissam. Igitur, dilectissimi, felicia ipsius primordia, quibus ad esse prodiit tam gratiae quam naturae, ac sacratum exitum quo ad caelestem gloriam gloriosus adscendit perenniter regnaturus, succincti sermonis compendio percurramus.

2. Beatus itaque pater et almus confessor Christi Franciscus de civitate Senensi provinciae Tusciae, patre Arrigetto (4), matre vero Raynaldescha (5) duxit originem, parentibus siquidem secundum carnis originem non infimis, vita vero, fide et moribus non mediocriter fidelibus et devotis. Huius mater, dum conceptum puerum gestaret

(1) *Legenda*, n. 50. — (2) *Storia del convento dei Servi di Maria*, cod. signatus B. VII. 14, in bibliotheca publica Senensi. — (3) Supra, p. 171. — (4) *Arrighetto*, *Henrighetto*, Henrici, italice *Arrigo*, diminutivum. Hic Arrighettus, cuius nomen etiam a Fratre Nicolao traditur, ad nobilem Patrizi familiam, cuius ramus Romae adhuc exstat, pertinebat, eratque de dominis vexilliferis, *dei Signori del gonfalone*, (Fr. Nicolaus, *Ricordi etc.*, p. 83). — (5) Nescimus cuius familiae fuerit mater beati.

in utero, et vicina partui cum suo viro more solito obdormiret, cernebat se quoddam lilium parturire, quod radices fixas mittebat ad terram, et crescens in stipitem lilia quamplurima producebat; quae cum timore sumens, sertum capiti Reginae virginum imponebat. Quae evigilans et viro suo referens, non visionem praesagam futurae sobolis, sed somnium fore simpliciter crediderat. Quae rursus obdormiens visione non minus mirifica illustratur. Videbatur enim sibi quod in ecclesia quadam mirae pulchritudinis consistens, videret quendam episcopum pontificalibus indutum, adstantibus eidem clericis ad missarum sollemnia celebranda, vocantemque eam prae inconsuetudine trementem, dicentemque sibi : *Mulier, ne paveas. Lilium enim, ut vidisti, in utero tuo salva parturies, quod illibatum permanens carnis spurcitias impolluto calle transibit.* Quo dicto, cum stimulo baculi pastoralis ipsius utero impressit vivificae signum crucis. Evigilans itaque et visionem a Domino factam modo simplici quo poterat intellegens, secretum sibi praeostensum usque in diem mortis nemini revelavit.

3. Post non multos dies, puero de matris alvo producto in lucem, ut alteri Elisabeth congratulabantur vicini, et de suis facultatibus decenter eius puerperio ministrabant. Qui mox renatus baptismalibus sacramentis, dum patrinus eiusdem puerum de sacro fonte levasset, ac obstetrici involvendum panniculis tradidisset, ipsaque obstetrix panniculis involutum puerum coram imagine gloriosae Virginis commendasset, puer, iam caelesti unctione perunctus, oculos aperiens exsultavit; et iis nutibus quibus illa aetas poterat, salutare Virginem gloriosam satagebat. Nimirum qualis futurus erat, infantulus iam caelesti unctione perfusus, et quam devotus in sacro eiusdem Virginis plantario, ipsa eiusdem infantuli sacrata primordia demonstrabant.

4. Ablactatus itaque puerulus Franciscus a matre sua, quae nutricis gerulae gerebat officium, primis scientiae elementis traditur imbuendus, ut mediocriter instructus in templo Domini, ut alter Samuel, iugiter moraretur. Mox mirum in modum benedictus puer, iam Deo plenus, ante decennium proprio orbatus parente, coepit ecclesiarum frequentare limina, verbi Domini auditor assiduus. Et si quando captu sui ingenioli verbum seu sententiam aliquam colligebat, meditanti animo iugi studio frequentius revolvebat, sicque in armariolo sui pectoris velut collectos flores de plurimis sententiis recondebat.

5. Vivebat eo tempore carus Deo et optimus felix Ordinis Praedicatorum beatus frater Ambrosius (1), Senensi populo vita et fama

(1) B. Ambrosius, de nobili Sansedoni familia, qui tunc praedicationibus Senis maxime florebat. Anno circiter 1220 natus, Praedicatorum Ordinem anno

celebris, ac in praedicationibus creberrimis plurimum gloriosus. Huius praedicatoris eximii puer Franciscus inebriatus eloquio, non vacans lusibus seu lasciviis puerorum, ut assolet tam aetas quam patria saepius excitare, ne forsan aliquod praedicantis verbum ab exordio usque ad finem eius sacras subinfugeret aures, frequentius mansit sacri ieiunii tempore, noctes ducens insomnes in fratrum Praedicatorum polyandrio (1), seu ostiis ecclesiae pernoctabat. Accidit autem, ut dum memorabilis felix praedictus frater Ambrosius declamatorie loqueretur ad populum, illud verbum dictum Arsenio cum multo fervore spiritus recitaret: *Arseni, fuge homines, et salvaberis* (2). Quod verbum praecordiis ac menti beati Francisci tam immobiliter et constanter inhaesit, ut iam antra deserti ac vitam solitariam sub annis teneris petere decrevisset. Quod et fecisset, nisi matris quam, ut probaretur humilitas et patientia benedicti Francisci, Deus orbaverat lumine oculorum, cuius sedule curam gessit usque ad aetatis suae vigesimum secundum annum, infirmitas obstitisset, et non timuisset mandatis dominicis et iussionibus contraire. Creverat siquidem cum eo a sua sacra infantia miseratio liberalis; et non solum ad parentes, sed ad quoslibet miserabiles, redemptos Christi sanguine, exhibebat viscera pietatis.

6. Elegerat sanctus iuvenis Franciscus gloriosam Virginem in matrem et dominam spiritualem, summamque ei reverentiam et mente et corpore exhibebat, ita ut eam nonnisi Dominam nominaret. Consueverat siquidem coram imagine beatae Virginis inter diem et noctem saltem quingentis vicibus genua flectere, et salutationem angelicam cum nonnullis aliis laudibus eiusdem Virginis suis labiis persolvebat, ac ne suae virginitatis lilium aliquando scinderetur, suppliciter gloriosam Virginem exorabat. Humilitatem cordis, et patientiam in adversis, et fortitudinem in adversarii insidiis propulsandis, ferventibus desideriis flagitabat. Cogebat carnem prorsus servire spiritui; et si quando impetuosi motus in partibus animae titillarent, ad petram Christum et gloriosam Virginem Dominam suam querulosis vocibus allidebat. Tergebat venialia, quae mentem interdum latenter irrepunt, lacrimis et suspiriis; et cilicium ad carnem deferens, flagellis corpus suum et verberibus edomabat.

7. At ubi matre orbatus est pius iuvenis Franciscus, quasi ab omnibus saeculi vinculis absolutus, proposuit exsequi quod in ipsius

1237 ingressus erat. Mortuus est anno 1287, die 20ª martis. De eo vide *Acta Sanctorum*, Martii t. III, pp. 180-251, et Aprilis t. II, p. 506. — (1) Polyandrium, id est coemeterium. — (2) Haec verba, Arsenio caelitus dicta tradit Theodorus Studita, cap. I, n. 4: *Arseni, si salvus esse vis, fuge homines, et salvaberis*. Vid. *Acta SS.*, Iulii t. IV, p. 618.

praecordiis versabatur; ac vitam solitariam, in qua posset omnium Creatori ac gloriosae Virgini Dominae suae perpetuis temporibus famulari, animo requirebat, nisi Dominus et gloriosa Virgo Maria Domina sua de ipso aliter dispensaret. Saepe ergo in animo revolventi et in conscientiae stomacho digerenti verbum illud *Fuge homines,* suggessit ei Spiritus sanctus non in hominum conversatione, sed in vitiorum imitatione potius esse culpam, quodque ad maioris eidem meriti cumulum accedebat, si homines, per abrupta saeculi et vitiorum devia more pecudum incedentes, et animas diabolica fraude deceptas per suae exhortationis eloquium salutare ac vitae ipsius exempla de faucibus eriperet inimici et ad semitas iustitiae inclinaret. Intellegens itaque servus Dei Franciscus, iuxta prophetae vaticinium, quod in ipso Dominus loquebatur, et hoc oraculo et institutione divina caelitus informatus, religionem in qua sub oboedientia, quae sacrificiis praefertur et victimis, ac propriis exutus sine proprio Christum pauperem et gloriosam Virginem liberius imitari, et in suae virginitatis et puritatis flore Virgini Matri et Filio Virginis virgo ipse valeret acceptabilius famulari, ilico petiit, et Ordinem Servorum eiusdem Virginis servus ipse Franciscus vigesimo secundo aetatis suae anno feliciter, ut eiusdem probavit exitus, introivit (1). Ubi ad cuius perfectionis apicem meruit, favente virtutum omnium Domino, pervenire, fratres et eiusdem professionis socii testes exsistunt. Testor ego Deum et omnes sanctos eius, nihil de virtutum eius praeconiis, nisi quod ego ipse conspexi, et quae ante ipsius felicem exitum, dicto patre referente, cognovi, non adulantium more depromere, sed ad divinae Maiestatis gloriam et intemeratae Mariae Virginis, cuius assiduis momentis patrocinia implorabat, honorem verius aperire.

8. Hic vir itaque, Deo plenus, ut mihi aliquando sub secreto paenitentiae rettulit, non recolebat nec sciebat se corde vel opere actuale crimen ab infantia sua usque ad senectutem mortaliter commisisse; et assiduis diebus gloriosam Virginem piis et supplicibus gemitibus exorabat, ut potius spiritum eius de tabernaculo carnis evolare iuberet, quam eius animam permitteret alicuius actualis seu voluntarii criminis laqueis irretiri, saepius illud Salomonis verbum exprimens : *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Si qua vero alicuius venialis [culpae] ipsius animam macula respersisset, salutaris paenitentiae sacramento singulis diebus mane et sero indefectibiliter abstergebat.

9. Infra triennium vero ab ingressu eiusdem in Ordinem, cum esset circiter annorum viginti quinque, ad dignitatem sacerdotii sublimatus, tanta ad Eucharistiae sacramentum devotionis mira afficie-

(1) Sub principio anni 1285, ut in praefatione dictum est, haec receptio locum habuit.

batur dulcedine, ut diebus singulis celebraret. Dicebat enim: *Non decet servum Dei die aliqua sine viatico remanere, cum nihil sit incertius hora mortis, et ignoremus qua hora Dominus sit venturus.* Tanta insuper interdum exsultatione intra missarum sollemnia eius exhilarabatur et iubilo perfundebatur facies, ut crederes ipsum conspicere absque sacramentorum velamine Christum gloriae incarnatum. Et cum quidam ex fratribus eo tempore eius exsultantem faciem observaret, et post exsoluta sacramenta interrogaret et diceret: *Frater Francisce, quid habuistis vel vidistis, quod intra missarum sacramenta videbamini ridere et taliter exsultare?* pius pater, vultu in terra demisso, respondit: *Indulgeat tibi Deus, fili, quod in facie sacerdotis aspicere praesumpsisti. Non decet quempiam ipsius faciem aspicere, vel ipsum sacerdotem aspicere quemquam, dum est in praesentia sacri corporis Iesu Christi. Solus namque Moyses sancta sanctorum ingrediebatur, nec filii Israel faciem Moysi conspicere poterant, quae facta erat ex consortio sermonis Dei radiosa.* Et cum a confessore suo, audiente tunc verba huiusmodi, rogaretur ut, si quid revelatum eidem fuerat, aperiret, respondit: *Secretum meum mihi: depraedari enim desiderat qui thesaurum publice in via portat.* Tantae namque sollertiae servus Dei erat, et tantam gratiam verbi contulerat Altissimus ori eius, ut subito interrogatus, repente sine cogitatu aliquo responderet, et singulis sufficientissime satisfaceret ad quaesita.

10. Inerat servo Dei Francisco proponendi populis verbum Dei cura sollicita; cui Dominus tantam verbi contulerat gratiam, ut ilico requisitus, sine lectione praevia, sed genu flexo ante imaginem Crucifixi seu Virginis gloriosae, et benedictione a praelato seu alio sacerdote suscepta, affluentissime populo frangeret panem verbi, et sufficientissime proponeret verba vitae. Et cum quidam ex fratribus super scientia et responsis eius, et de subita propositione verbi Dei absque lectione praevia mirarentur vehementer, proposuere exinde sumere argumentum. Et ecce subito vocatus frater Franciscus, eidem iniunctum est a priore quod subito pulpitum adscenderet, et verbum Dei praestolanti populo praedicaret. Qui, benedictione suscepta, coepit versus ecclesiam progredi, saepe iterans salutationem angelicam, et postea dicebat: *Sit in corde meo,* etc. Et cum ipsum silenter quidam ex dictis fratribus sequerentur, et interrogaret ipsum quispiam quomodo auderet praedicare sine praevisione praevia, respondit: *Dominus dat sapientiam; ex ore illius divitiae et gloria.* Et adiecit: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Nescis quia Domina est gratia plena?* Quo dicto, adscendit pulpitum, et solito gloriosius praedicavit; fratres autem dicti Deo gratias rettulerunt. Pharisaei stupent in doctrina Domini, mirantur in Petro et Iohanne, quomodo legem sciant cum litteras non

didicerint; mirabantur et nonnulli in praedicatione servi Dei: unde et interrogatus quomodo praedicaret, cum talem scientiam non didicerit, in caelum suspiciens: *Non eruditio sed unctio, non scientia sed conscientia, non charta sed charitas docet theologiam.*

11. Interea dum praedicationi verbi Dei insisteret ferventissimis votis, accidit ut duae virgines (1), quae ad ipsius praedicationem simul accesserant, simili prodigio laetarentur. Viderunt namque, ut suo confessori divisim et insimul rettulerunt, dum servus Altissimi Franciscus ferventer populo praedicaret, globum igneum adscendere super caput eius. Et dum aliquandiu super caput ipsius quievisset, aspexerunt globum huiusmodi descendere in dextrum umerum, ubi non globus igneus, sed stella praeclarissima videbatur, quae radios scintillantes in ipsius labia emittebat. Et completa praedicatione, stella ipsa super caput eius adscendens, in modum lilii candidissimi est conclusa. Et ex tunc cognoverunt firmiter copiosum munus gratiae collatum fore divinitus servo Dei.

12. Erat servo Altissimi Franscisco gratia in consiliis tribuendis mirabiliter attributa: unde et promiscui sexus et variae condicionis homines et mulieres ipsius paenitentiam frequentabant. Super quo nonnulli ex fratribus eius, piis invidentes actibus, murmurabant quod frater Franciscus conversationem saecularium hominum et mulierum sub confessionis specie nimium frequentabat. At ubi intellexit servus Dei, plurimum doluit se fuisse causam alicuius scandali, seu causam peccandi alicui praebuisse. Cupiens ergo meliorem partem eligere cum Maria, ne et alicui foret causa scandali vel peccandi, prostratus coram imagine Virginis gloriosae, totum se contulit et tota devotione oravit, dicens: *Mater carissima, virgo benignissima, regina caelorum, domina angelorum, mater gratiae et misericordiae, rogo vos, mater dulcissima, peccatorum advocata, ut me indignum servum vestrum taliter in utroque homine disponatis, quod vobis placeam, et vestris reverentiis fideliter et sine proximorum scandalo insistam.* Et haec dicens, flebat uberrime, gratiam postulans. Consueverat enim dicere quod nunquam est in hac vita sine lacrimis gratia Creatori omnium vel caelorum Dominae postulanda. Et completa oratione sua, coram dicta imagine levi somno arripitur, audivitque vocem de imagine dicentem sibi: *Exaudita est oratio tua.* Evigilans autem Franciscus, dum medium silentium tenerent omnia et essent secreta noctis silentia, more solito sine alterius excitatione de strato consurgens, ad laudes matutinales cum fratribus accedens, incoeptis licet

(1) Ex *Annalibus Ordinis*, t. I, p. 250, col. 2, illas virgines fuisse discimus beatas Bartholomaeam de Vaiariis et Sobiliam Palmieri, ambas Ordinis sorores ac beati spirituales alumnas.

matutinis nil penitus audiebat. In quo intellexit servus Dei Franciscus in auditus privatione orationem suam a Domino exauditam. Et cum fratres ipsum ex more clamarent, digito auri apposito, eisdem nutibus verisimilibus annuebat se privatum auditu. Qua de re fratres et saeculares plurimum doluerunt, et volebant medicorum adhibere remedia; sed omnino prohibuit servus Christi. Et cum interrogaretur a fratribus qualiter ei haec infirmitas tam subito advenisset, respondebat: *Mala quae nos hic premunt, ire ad Deum compellunt. Iam dissoluta est una ex portis civitatis, ut non casuram sed permanentem et stabilem civitatem caelestem totis viribus requiramus* (1).

13. Exsultabat ergo servus Christi, quia cognoscebat in se divinam gratiam elucere. Ex tunc ferventior in divinis obsequiis, et gloriosae Virginis totus factus, in lege mandatorum Domini et in ampliandis et cumulandis virtutum ornatibus meditabatur die ac nocte. Quid, dilectissimi, si voluero virtutum singulariter narrare praeconia, puto non sufficiet scribentis calamus scriptitare. Nunquam vel raro, nisi infirmitatis vel videlicet languoris permaximi tempore, super mollia artus suos debiles collocabat, sed super assides seu humum, supposito capiti parvulo cervicali, membra semimortua colligebat. Et si nocte vel die ipsum somnus opprimeret, evigilans repente ad oratorium quod in cella sua statuerat et imaginem Virginis gloriosae ilico recurrebat; et quibuslibet fere momentis, post completas horas debitas, salutationem beatae Virginis et nonnullas laudes eiusdem devotius frequentabat. Angelorum et caelestium spirituum militiam, apostolorum gloriosum chorum, patriarcharum, confessorum et prophetarum venerandum collegium, martyrum Christi candidatum cuneum, virginum illibatum exercitum suis interpellabat precibus, et praecipuam reverentiam singulis ordinibus diebus singulis singulariter labiorum suorum expressionibus persolvebat. Invitabat singulos ad reverentiam Matris Christi, et sertum matri eiusdem beati Francisci praeostensum, viribus omnimodis virginum reginae capiti coaptabat.

14. Quid plura? Humilitatis ipsius testes fratres exsistunt singuli. Tam profundae siquidem humilitatis fuit, ut non solum maiorum et aequalium, sed omnium, etiam puerorum, se minimum aestimaret. Maiores reverebatur ut patres et dominos, aequales ut patres, minoribus ut carissimis fratribus reverentiam exhibebat. Et si aliquando ipsum aliquis etiam minimus verbo vel facto, ut inter consocios assolet, offendisset, ipse se iniuriam fecisse recogitans et culpam ibi cognoscens ubi culpa non suberat, tandiu prostratus fratris pedibus cum profundae humilitatis indiciis procumbebat, donec facere silen-

(1) Ab hac infirmitate, quam sub fine vitae suae contraxit beatus, postea sanatus est, ut ex sequentibus apparet.

tium cogeretur. Consortio fratrum se rarissime immiscebat, nisi praelati sui ipsum specialiter advocassent.

15. Charitatis intima fratribus et proximis quibuslibet, orphanis, pupillis, et viduis, ac miserabilibus personis, nec non in mortis amaritudine seu periculo constitutis affluentissime demonstrabat. Saepe namque tunicam exuebat, ut proximi necessitatibus subveniret. Nec te moveat quod iam dixi: habebat namque servus Dei suorum praelatorum generatim licentiam exercendi libere quaecumque ei Spiritus sancti gratia suggerebat. Nobilium virorum et dominarum frequenter comparebat aspectibus, et oblata sibi ac quaesita per ipsum [iis] quos vel quas verecundiae pudor et paupertas oppresserat, provide dispensabat: dicebat enim in hoc fieri duo bona, dum et tribuentis utilitati et necessitatem patientis miseriae subvenitur. Circuibat civitatem assidue vir Dei, et cuilibet salutis monita sedulus tribuebat. Litigantium et discordantium pacificus mediator, quibuslibet calamitatibus oppressorum benignissimus exstitit consolator, ita ut vix se medium vel sequestrem posuerit inter partes, quibus non sit concordiae beneficium subsecutum. Si corporalibus languoribus quam plurimae nobiles dominae antiquae vel iuvenculae tenebantur, mittebant pro servo Dei; et imposita sua sacra manu super caput ipsarum, et interdum super loca ipsarum infirmitatum, impresso salutifero crucis signo, praemissa oratione, plene recipiebant beneficia sanitatis. Narravit mihi frater quispiam, frater Petrus nomine de Castello (1), quod dum in uno oculorum irremediabilibus doloris aculeis angeretur, rogavit servum Dei Franciscum ut suo languori imprimeret signum crucis. Qui, ut erat totus benignissimus affectu pariter et effectu, statim annuit, et omnem dolorem penitus effugavit. Cum quanta humanitate recipiebat peregrinos et hospites est supervacaneum enarrare, ita ut paene videretur omnem eisdem laborem et fatigationem itineris abstulisse.

16. In refectione non nimium parcus erat: dicebat enim quod asino [et] servo seu corpori non sunt alimenta necessaria deneganda, ita tamen quod non recalcitret, vel ipsum non sentias contumacem, sed ut invenias ipsum promptum et fortem ad omne opus bonum. Aiebat insuper: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

17. Semel dum servus Dei Franciscus praedicationis gratia ad villam quae dicitur Sancta Columba (2), Senensis dioecesis, accederet,

(1) *Città di Castello,* olim Tifernum Tiberinum, episcopi sedes, circa triginta chiliometris Aretio orientem versus et quadraginta quinque Perusio aquilonem versus iacet. — (2) Pagus S. Columbae circa duodecim chiliometris ad occidentem Senis distat.

in via positus, et ascensu montium, cum esset satis corpulentus, et aestu nimium fatigatus, optavit refocillare labia sua modico vino et aqua. Et accedens propius ad quoddam palatium, amore beatae Virginis vinum et aquam a villico postulavit. Qui villicus, cum esset admodum rusticanus, negavit claves cellarii se habere. At vir Dei, cum esset nimium verecundus, rubore perfusus abscessit. Et dum non esset multum remotus a loco, servus Dei dixit socio suo : *Fili, Deus maxime offenditur, quando servis suis vitae necessaria denegantur : dicit enim Apostolus, quod Deus ordinavit quod qui altario deserviunt, de altario debent vivere. Nec est magnum si saeculares nobis temporalia ministrent, cum ipsis spiritualia ministremus. Puto quod Deus indignabitur loco isti.* Quo dicto, abiit itinere quo coeperat. Et ecce nocte sequenti contra morem tanta tempestas super palatium et vineas et arbores eidem coniunctas desuper inundavit, omnesque fructus, uvas foliaque consumpsit, ut ibi sistens crederes non aestivum sed hiemale tempus protinus exstitisse.

18. Quotiens servus Dei Franciscus quocumque extra civitatis maenia, seu predicationis gratia, seu quacumque alia necessitate cogente, pergeret, totiens coram praelato suo genibus flexis benedictionem petens, baculum de manibus praelati suscipiens (1) abscedebat. Dicebat namque, cum interdum eidem diceretur a socio non esse expediens totiens hanc profundam reverentiam impertiri : *Scimus, carissime, nostrum ire, sed nescimus qualiter vel quando Dominus disposuerit nos redire. Omnis autem dies est velut ultimus ordinandus.*

19. Consuerat denique ita pro vivis quam etiam pro defunctis cottidie carnem suam cum atroci disciplina, antequam fratres ad laudes matutinales assurgunt, crudeliter affligere, ut si percussiones audivisses, putares lignum seu lapidem, non carnem propriam, percussisse.

20. Optabat totis affectibus proprio carnis tabernaculo exui; unde saepius illud Apostoli cum manuum plausibus et iubilo faciei vel laetanter volutabat in ore : *Cupio dissolvi et esse cum Christo;* adiciens : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Appropinquante autem eiusdem beati Francisci plenitudinis tempore, quo disponebat Altissimus dissolvi spiritum eius et a corporeis vinculis relaxari, ut a laboribus in opulenta requie requiesceret cum beatis,

(1) Hic usus inter eremitas Ordinis S. Augustini, ex mandato Gregorii IX (24 martii 1240), dein Innocentii IV (1 iulii 1253), dein Alexandri IV (22 februarii 1256) passim usurpabatur. *Portantes baculos in manibus quinque palmorum grandium,* sic Gregorius et Alexander; *deferant... in manu crocias, in quarum superiori parte non sit curvum lignulum sed directum,* sic Innocentius.

cum iam sexagesimum secundum aetatis suae annum (1) vel circiter attigisset, felicem vocationem suam et obitum certis indiciis demonstravit.

21. Instabat eo tempore sollemnitas Ascensionis Dominicae, qua Christus cum gloriosae suae carnis substantia in caelum adscendit, substrato mortis imperio, perenniter regnaturus. Ante cuius sollemnia cognoscens servus Altissimi e vicinio eius exitum imminere, nolens eius spirituales filios absque benedictionis suae munere desolatos et anxios remanere, ingressus est civitatem; et domum cuiusdam, nomine Meoconi, devotissimi sui, qui una cum uxore sua, nomine domina Guccia, Christi servo sincerissima devotione adstricta, assiduis temporibus de suis Christi servo facultatibus sedule ministrarat, primitus introivit. Et proponens praedictae dominae verba vitae, filios et filias et totam familiam accersiri mandavit. Quibus ilico accersitis, elevatis in caelum oculis et manibus, benedixit singulis, manus eius sacras imponens capitibus singulorum. Admirans devota domina cur praeter solitum fecisset tam sollicite insimul totam familiam evocari, et tam prolixas imprecationes generaliter et divisim toti illi familiae invocasset, audivit a viro Dei: *Quod ego facio, nescis modo, scies autem postea.* Et egressus, reperiens virum eius, ut ad loca nobilium cum suis concivibus iungebatur, eidem benedictiones similes erogavit, admirante devoto viro Dei, et quae uxor eius [audierat] similia audiente. Sic fecit per singulos paucos illos dies, donec spiritualibus filiis et devotis benedictionem suam singulariter indulgeret.

22. Supererat in crastino praefata sollemnitas; in cuius vigilia summo mane, sumpto sacrae Eucharistiae sacramento, cellam et oratorium suum ingressus, coepit Ascensionem Domini nostri Iesu Christi vehementius meditari, ac de tanta sui incolatus prolongatione non mediocriter anxiari. Et ulterius prorumpens in lacrimas, cum singultibus et suspiriis Dominum et beatam Virginem exorabat, ut mereretur spiritus eius de carcerali custodia corporis liberari: *Tempus est,* inquiens, *rex et regina gloriae, ut corpus terreum et luteum revertatur in terram, et spiritus ab iis vinculis absolutus ad vos pariter revertatur.* Et dum in iis devotionis lacrimis totus insisteret, quidam frater, Iohannes nomine, de Cennina (2), servo Dei familiarissimus et devotus, superveniens interrogavit quidnam nunc haberet. Cui vir Dei, ut erat placidissimus et benignus, sub illis verbis respondit: *Scis, fili mi, quia Dominus noster cras est adscensurus in caelum?*

(1) Non sexagesimum secundum, sed sexagesimum quintum aetatis suae agebat annum. Secus enim anno 1266 natus, anno 1288 Servorum Ordinem ingressus esset, nec proinde a S. Philippo († 1285) recipi potuisset. — (2) *Cennina,* in communi Bucine, castellum erat dioecesis Aretinae, circa 25 chiliometris ab hac urbe occidentem versus distans.

— *Scio, inquit, pater.* — *Et credis, fili mi, quod me amplius relinquat in hac valle miseriae? Certo spero, fili mi, quod cito mihi faciet gratiam, et me amplius in hac miseria non tenebit.* Quod praedictus frater Iohannes, bonae memoriae utique vir, qui in peste totius orbis generali (1) obiit, tunc minime intellexit.

23. Intellegens itaque vir Dei spiritum eius in proximo a Domino evocandum, coepit viribus repente destitui; et quasi ad locum alium transmigraturus, libros et supellectilia quaedam, quibus humanitatis debitum persolvebat, coepit per ordinem suis locis ordinatius collocare. Et ecce circa horam fere vespertinam servus Dei Franciscus priorem provincialem, nomine fratrem Michaelem de Castello (2), et consequenter priorem conventualem, nomine fratrem Nicholam de Senis (3), cum fratres refici deberent, adiit, ipsosque instanter rogavit ut illo sero mereretur refici cum eisdem. Quibus renitentibus et dicentibus quod alias poterit refici cum eis, respondit: *Patres, nescimus quid sit crastina dies paritura.* Cui benigne post haec acquiescentibus, et mensam ingressus, vir Dei Franciscus hilari voce et facie dixit: *Desiderio desideravi hoc pascha.* Quod non intelligentes, sed credentes virum Dei loqui aenigmatice, refectionem sumebant; et dum praedictus eius prior diceret: *Frater Francisce, sumatis refectionem cum benedictione Dei;* servus Dei Franciscus modo Senensi respondit: *Amor, nescitis quia venit nuntius, dicens quod reddatur castrum; et respondi quod libenter, salva persona.* Et credentes quod de aliquo civitatis Senensis castro loqueretur vir Dei, tunc ipsum non amplius interrogaverunt. Sed sumpta refectione, cum prior ipsum interrogasset si de sui castro corporis locutus fuisset, maxime quia refectionem quasi non sumpserat, secretum Domini eidem noluit aperire.

24. Cum autem servus Dei Franciscus corpus suum semimortuum super assides ante gloriosae Virginis imaginem post paululum collegisset, paululumque somnus arripuisset eundem, videbat Virginem gloriosam loquentem Filio suo, quem super genua et brachiis baiulabat, dicentemque sibi: *Quid, dilecte mi, quid, dilecte uteri mei, quid retribuam dilecto meo pro reverentia quam exhibuit mihi?* Cui parvulus Filius respondebat: *Dignum est, mater carissima, ut qui nos tantum dilexit, nobiscum in gloria collocetur, et in mundo ad tuam gloriam*

(1) Haec magna pestis anni 1348, quae per tres annos grassata, totam fere Europam populata est. — (2) Memoria hic lapsus videtur auctor. Anno enim 1328, ut in prologo diximus, Tusciae prior provincialis erat Frater Angelus de Castro Florentino; Frater autem Michael anno 1316 prior provincialis fuit. — (3) Fratrem Nicolaum Amadoris conventus Senensis priorem in instrumento diei 22ae maii 1327 apparere iam notavimus in prologo. Annis 1317 et 1323 iam prior fuerat quidam Frater Nicolaus (BUONDELMONTE, *Storia del convento di Siena*, ms. p. 96), qui idem esse videtur.

honoretur. Et tunc annuens manu parvulus Filius servo Dei Francisco, dicebat: *Veni, dilecte mi, veni, dilecte Genitricis meae, ut in aeternum fruaris gloria cum beatis, qui stolam carnis cum virginitatis honore indivisam et illibatam servasti.*

25. Excitatus servus Dei subito a fratre cui excitandi fratres reliquos ad matutinas laudes noctibus singulis officium imminebat, non mediocriter stupefactus, ac vadens in ecclesiam antequam fuisset tertio ad matutinum pulsatum, continuabat se ad visa, et respondens dicebat : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo et laudem dicam.* Et cum quidam ex fratribus, qui ante incohationem officii chorum intraverant, eius labia et voces plus solito observarent, audiebant ipsum nonnullos psalmos et versus de psalterio personare. Dicebat namque, audiri non credens : *Deus, docuisti me a iuventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini et visitem templum eius. In te, Domine, speravi : non confundar in aeternum. Accelera ut eruas me. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Et completis matutinalibus laudibus, usque ad horam primam haec eadem iterabat.

26. Cum autem se ad missarum celebranda sollemnia in die Ascensionis Dominicae praepararet, vocavit confessorem suum, qui etiam verba sua observaverat quae dicebat; et confessus eidem diligenter, interrogatus ab eodem confessore, qui mihi praefata rettulit, cur praefatos versus plus solito personaverit, respondit : *Voluntas Dei est ut non abscondam sacramentum eius; sed attende diligenter ut quae dicam non aperias ante tempus diffinitum a Domino. Fili carissime, in proximo est ut tollar a saeculo.— Non dicatis,* inquit confessor, *frater Francisce. — Non credo,* ait, *quod me videas amplius celebrantem : nam in brevi instat ut Dominus commendet terrae corpus meum.* Et tunc eidem aperuit sacramentum et responsionem quam suis labiis personarat. Et cum eius confessor maestus nimis effectus vellet flere : *Vide,* inquit, *ne fleveris;* et adiecit : *Haec secretissima diligenter conserva; et quando Deo placuerit, dilectissimo patri et filio meo fratri Christophoro de Parma* (1), *cui alias quaedam aperui sacramenta, per*

(1) De hoc Fratre Christophoro de Parma, vide quae in praefatione diximus.

ordinem revelabis. Et tunc tertio, facie quasi comminanti, adiecit: *Vide ne alii revelare praesumas.*

27. Et cum missarum complesset sollemnia, cum esset iam totus debilis nec valeret subsistere, cum ad praedicandum deberet accedere iuxta Senas ad villam quae dicitur Priscianum (1), coram priore flexis genibus provolutus benedictionem petiit et absolutionem omnium peccatorum, et quod baculum poneret in manu eius suppliciter postulavit. Et cum prior tantam eius reverentiam recusaret, nesciens quod fiebat in ipso et ignorans penitus Domini sacramentum, dixit servus Dei Franciscus: *Pater, nescio quando amplius a vobis benedictionem potero postulare.* Et hoc dicto, viribus quibus poterat sustentatus baculo, et fratre consocio abscedebat. Factum est autem, dum servus Dei exisset ianuam civitatis quantum sagitta iaceret arculis, proprii corporis impotens totaliter iam effectus, genu dextrum in terra defixit, dixitque: *Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* Et *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum,* adiecit, sicut semper in ore habebat praefatam salutationem angelicam. Et sustentatus a socio, voluit progredi, ut esset usque ad mortem oboediens, viam suam.

28. Et dum paululum ulterius processisset circiter triginta passus, obviam habuit servus Dei quandam mulierem sibi incognitam, quae de villa cum quodam manipulo rosarum accessit ad eum propius, dicens sibi: *Frater Francisce, accipite rosas istas.* Quas libenter servus Dei de manibus eius sumens, ad imaginem Virginis gloriosae, quae ibidem in quodam eremitorio picta erat, viribus quibus poterat deferebat. Et dum salutationem angelicam incohasset, in terram paulatim defixo genu, consequenter dextro latere, demum brachio, corruens, seipsum florem et lilium, virginem Virgini moriturus in proximo commendavit. Salvator noster, dilectissimi, suae sacrae passionis extra castra consummavit agonem, ut omnibus nationibus innotesceret eius passio salutaris: servus Dei Franciscus spiritum promissionis et arrham suae vocationis coram Domina sua gloriosa Virgine accipere meruit extra castra, utque eius sacer decessus innotesceret ad longinquas etiam nationes.

29. Defertur ergo eius sacrum corpus emortuum ad conventum. Et dum medicorum suffragia quaererentur, servus Dei quod lingua non poterat, nutibus demonstrabat: agitabat namque modicum sacrum eius caput oculosque vertebat, ac si apertius diceret se non indigere terrenae remediis medicinae. Et dum quispiam frater, custos et observator viri Dei, diceret: *Frater Francisce, quomodo vos habetis? Vultis aliqua me facturum?* servus Dei oculos aperiens, faciem

(1) Haec *Presciano* villa circa quattuor chiliometris Senis, versus meridiem, distat.

suam exhilaravit. Et inter labia silentia viribus quibus poterat, personabat : *Completa sunt omnia. In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

30. Factum est autem in dominicae (1) noctis quiete profunda, dum fratres in ecclesia Altissimo persolverent laudes dignas et cantaretur invitatorium, frater custos servi Dei interrogavit eum qualiter se haberet : cui servus Dei penitus nil respondit. Et dum perventum esset ad versum illum *Hodie si vocem,* etc., versum illum servus Dei labiis, oculis et nutibus quibus poterat, exprimebat, denotans se a Domino in proximo evocandum, consequenter adiciens, cum fratres versum illum incohassent *Quadraginta annis,* etc. Et iis utcumque expletis, annuit oculis se sitire; et parato servo Dei refocillatorio, post modicum visus est dicere : *Non te timeo;* et post pusillum, manibus paululum elevatis, auditum est servum Dei lente exprimere *meum*. Firmiter credimus servum Dei Franciscum dixisse illud Salvatoris nostri sacrum eloquium : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo dicto, sacrum spiritum suum servus Altissimi Franciscus, anno vitae suae sexagesimo secundo (2), in fratrum praesentia nostro reddidit Creatori, sub anno Domini 1328, undecima indictione, die vigesima sexta (3) mensis maii, tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Iohannis. divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae papae vigesimi secundi, anno duodecimo.

31. Currunt omnes et currunt singuli corpus sacrum videre non vocati ; de castris et villis undique convenerunt. Stupent fratres tam subito tantum civium et confluxum promiscui sexus ad visionem sacri corporis convolasse. O quantus erat fletus, quantus eiulatus, quanta suspiria, quot tunsiones palmarum, ut existimares adesse stragem vel caedem civitati! Plorant omnes patrem, lamentantur consolantem, credunt se propitiatorem et intercessorem apud gloriosam Virginem perdidisse. *Quid faciemus,* inquiunt, *pie pater? Quis nos consolabitur, te sublato? Quis nobis innumera salutis monita exhibebit?* Deflent eum quasi unigenitum irremediabilibus profluviis lacrimarum.

32. Fit conventus religiosorum, advenit collegium clericorum, ut dignas exsequias impenderent sacro corpori et dignae traderent sepulturae. Cumque post defunctorum officium *Requiem aeternam* ad missae introitum cantores sollemniter incohassent, prohibuit populus; sed *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes* incipere

(1) Supplendum videtur *Ascensionis,* et legendum *dominicae Ascensionis.* — (2) Iam vidimus B. Franciscum anno aetatis sexagesimo quinto mortuum esse. — (3) Error amanuensis, vel lapsus memoriae auctoris, ut in prologo notatum est.

cantores coegit, indubitanter tenens quod ea die praemiserit nostra peregrinatio et Senensis populus ad caelestes mansiones patronum eiusdem Altissimi fidelissimum advocatum. Post completa missarum sollemnia, volebant religiosi viri et clerici qui ad hoc convenerant, corpus illud sanctissimum tumulare. Quod usque in diem quartum perficere nequiverunt. Ex vicinis villis et castris profluit populus ad apothecam virtutum, ubi in beato Francisco spiritualia chrismata rutilabant. Caecis visum, surdis auditum, claudis gressum meritis sacri corporis Altissimus indulgebat; possessi a daemonibus liberantur, paralytici curantur, contracti et curvi [eriguntur], et leprosi mundantur, et omnibus languoribus subvenitur; et quod iis omnibus maius, mortui suscitantur. Inter haec omnia, sacrum corpus pannis exuitur, et partes sacrarum reliquiarum suarum et pannorum quae tetigerant mundissimam carnem suam penitus asportantur. Secundo et tertio induitur, et iterum reliquiarum sanctarum portiunculae asportantur.

[MIRACULA]

33. Supervenit quispiam curiosus et coepit detrahere viro Dei sancto. Et ecce subito, dum quidam eximeret gladium, ut partem caputii tanti patris abscinderet, ut sibi ad sanitatis et devotionis suae remedia reportaret, ex nimio impulsu et impetu astantium gladio impegit in faciem viri sancti. Et subito sanguis vivus largiter de sacro corpore per rivulos emanavit, ita ut ipsum existimares non mortuum sed viventem, nimirum quia erat mundo mortuus, vivens Deo. Quod incredulus cernens, pectus suum tundebat, et factus beato Francisco devotus, veniam postulavit, ac ipsius sacrum corpus frequentius postmodum visitavit.

34. Quot et quanta innumera miracula meritis gloriosi confessoris sui Francisci operatur ibidem nostri clementia Salvatoris, linguae non sufficiunt enarrare. Sed ad consolationem legentium et audientium pauca de multis, modica innumeris inferius adnotantur.

35. Ipsa die, dum spiritus almi confessoris Christi Francisci ad caelestes mansiones fuisset evectus, dum panni sui sacri corporis asportati fuissent lotionis gratia a quadam notissima viri Dei, nomine Necha, dum peregrinaretur in terris, ecce subito beatus Franciscus eidem apparuit, in ea effigie et habitu quo consueverat apparere dum viveret in humanis. Quem cum mulier aspiceret, nimio timore

corripitur. Quam gloriosus Franciscus blande consolabatur, dicens: *Filia, ne paveas; sed accedens velocius, dicito fratribus meis quod corpus meum in despecto loco positum honorabilius collocent. Placuit Reginae caeli corpus meum honorare in terris, sicut spiritum meum sublimare voluit cum beatis.* Et iis dictis, subito disparuit. Mulier autem velociter currens, cum multis lacrimis visionem fratribus et astantibus singulis publice enarravit.

36. Accidit, post plurium mensium curricula, ut mulier quaedam, nomine domina Mita, mantellata fratrum Praedicatorum (1), excellens et celebris opinionis apud omnes Senenses, dum morti appropinquaret, ad contemplanda caelestia per duorum dierum spatium raperetur. Cumque ad vitales artus ad enarrandas visiones mirificas redderetur, et rogaretur ab astantibus ut verbum aliquod consolationis et devotionis aperiret eisdem, respondit quod ait Apostolus: *Vere oculus non vidit.* Et cum de aliquibus religiosis qui fuerant magnae opinionis in populo, rogaretur ut diceret quod vidisset, et si ipsos vidisset in gloria cum beatis, respondit: *Homines vident quod foris est, Deus autem intuetur cor. Multi in conspectu hominum sunt lucidi, et in conspectu Altissimi tenebrosi. Attamen illi de quibus quaeritis sunt electi, sed nondum sunt in gloria cum beatis.* Tunc nonnullae quae sanctitatem gloriosi Francisci firmiter non credebant, curiosius quaesierunt: *Vidistisne, carissima domina, beatum Franciscum de Ordine Servorum, pro quo nunc videtur Dominus tanta mirabilia operari?* Quae exsultans in facie, respondit: *Ah! filiae carissimae, vidi illum gloriosum sicut solem in conspectu Reginae caelestis, undique radiosum, et coronam capiti suo Regina caelestis curiae imponebat. De ipsius sanctitatis gloria nullatenus dubitetis.* Quibus dictis, post modicum spiritum suum reddidit Creatori. Illae autem, hoc caelesti prodigio illustratae, glorioso Francisco devotione sincerissima adhaeserunt, et sepulcrum ipsius sedule frequentarunt. Hoc autem in loco interserere volui, licet multa praecesserint, ut prima visio et apparitio ac suae gloriae manifestatio, secundae visionis celebri praeconio muniretur.

37. Dum autem sacrum corpus et ipsius sepulcrum devotione eximia frequentia populi visitaret, utpote quia inde spiritualia munera

(1) Mantellati et Mantellatae, ex mantello seu pallio quod deferebant sic vocati, fere eodem religionis gradu erant quo hodierni tertiarii. Senis tunc habebantur Mantellatae S. Dominici (quas inter recepta fuit S. Catharina Senensis, ut videre est apud B. Raimundum de Capua, cap. IV, n. 1: *Cum sororibus de paenitentia beati Dominici, quae vulgari sermone Mantellatae vocantur in civitate praedicta, instabat...* V. *Acta SS.*, Aprilis t. III, p. 879), Mantellatae pariter S. Francisci, Beatae Mariae de Carmelo, S. Augustini, et Servorum sanctae Mariae. De hac autem pia muliere nihil omnino scimus.

et curationum remedia indigentibus praestabantur, quidam, Vitus Andreae nomine, de contrata quae dicitur Camollia (1), incepit plurimum verbis et vocibus detrahere sancto Dei. Et ecce subito gravi et continua febre corripitur, et lecto deponitur. Fit conventus medicorum, morbi causa requiritur, et per naturalia signa quod quaeritur minime reperitur. Augetur continue languor, ita ut die tertia, invalescente morbo et de salute nulla spe habita, mortis potius quam salutis insignia videntur. Recordatus est ergo, ut placuit Altissimo, quod detraxerat et incredulus fuerat sancto Dei. Exhorruit facinus, et sibi ipsi displicuit, et in omnibus praecordiis suis se tota devotione, effectus eius sanctitatis credulus, commendavit; et eius sepulcrum, si sanitatis beneficium quam non invenerat, recipere mereretur, nudis pedibus visitare debita reverentia repromisit. Necdum votum emiserat, et ecce repente de lecto surrexit, febris abscessit, et se sanum et liberum ab omni languore inopinabiliter beati Francisci meritis acclamavit. Qui votum exsolvens, beato Francisco et fratribus devotus est postmodum totus factus.

38. Quidam etiam, ser Bartholomaeus nomine, beati Francisci miracula parvi pendens, elevata manu et brachio aiebat : *Nescio qualia mirabilia sint facta.* Et ilico manus et brachium insensibilia velut lapis et lignum, et arida sunt effecta. Qui pectus percutiens et lacrimas uberrime fluens, ad sepulcrum sancti Dei accessit, et reverentia praestita, sanitatis beneficium recepit.

39. Alius insuper, Iohannes de Durelianis nomine, cum per quattuor annos continuos et amplius manus ariditatem penitus incurrisset, ita quod digitos vel manum ipsam nullatenus extendere posset, tacto sacro corpore, subito manus et digiti sunt extensi.

40. Incurrerat ex multo ante tempore quidam, Bindus de Plebe Castelli (2) nomine, oculorum caliginem, quae tantum virtutem visivam et oculorum pupillas oppresserat, ut penitus nil videret. Qui ductus ad sepulcrum sacri corporis, se sancto Dei devotione omnimoda commendavit, et antequam de oratione surgeret, obtinere meruit quod oravit.

41. Quaedam, nomine domina Tora, quae per continuos octo annos et amplius, a genibus et infra in tibiis et pedibus tota facta arida, perdiderat officium ambulandi, ad sepulcrum sancti Dei, (3) Deum magnificans et gloriosum Franciscum, suis pedibus ad domum

(1) Haec contrata seu vicus, gallice *rue*, erat in illo Senarum *terzerio* quod Camollia vocatur, occidentem inter et septemtrionem urbis. — (2) Plebs Castelli, *Pieve a Castello*, in communi *Castelnuovo*, Aretinae dioeceseos, duodecim chiliometris Senis distans. — (3) Hic videntur omissa fuisse quaedam verba, et addendum; *portata est, et ibi sana facta est, tunc*, vel similia.

propriam sine cuiusquam auxilio absque laboris onere libere est reversa.

42. Quaedam etiam, domina Thura nomine, cum per non modicum tempus incurrisset surditatem, et nullum penitus sonum audire valeret, visis miraculis quae Deus per sanctum suum Franciscum tam luculenter agebat, accedens ad sacrum corpus, et tacta sacra manu ipsius ac devote posita super aures suas, statim sibi restitutum est beneficium audiendi.

43. Mulier quaedam, nomine Tuccia de Polenta (1), Florentinae dioecesis, possessa a spiritu nequam et iam mensibus decem crudeliter cruciata, ducta ad sepulcrum sacri corporis, fuit ante ipsius tumulum collocata. Cuius sanctitatem spiritus nequam sustinere non valens, datis signis sui recessus, abscessit, relicto semimortuo corpore illius miserulae mulieris.

44. Quaedam etiam, Bilia nomine, uxor olim Dini de Ponte Arbiae (2), quae per duodecim annos a spiritu nequam possessa fuerat, tacto sacro corpore, fuit plenius liberata.

45. Infans quidam, annorum duorum et unius mensis, Franciscus nomine, filius domini Naddi (3) civis Senensis, cum gravi febre langueret, ita ut per dies octo nec lac a nutrice vel aliud aliquid liquidum sumpsisset, sed cum vicinus morti de ipso singuli desperassent, recommendatur beato Francisco; et subito recommendatione facta, alicuius tractu temporis sanus efficitur, ac si laesionem aliquam vel languorem minime pertulisset.

46. Homo quidam, Guido Nerii de Belforte (4), Senensis dioecesis, tanto membrorum, ut capitis, manuum et omnium membrorum, motu agitabatur, et eam quam paralysim vocant, per annos quattuor perpessus fuerat infirmitatem, ut si in manu vas aliquo liquore plenum gestasset, subito funderetur, ut caput etiam semper tam frequenter moveret, ut nec ad modicum subsistere posset. Qui accedens ad sepulcrum sacri corporis, cum ibi tribus diebus et noctibus moram

(1) Est quidam Polenta pagus ad occidentem Cesenae iacens : nescimus an is sit de quo loquitur auctor; nullum huius vocabuli invenimus in ditione Florentina. — (2) Exiguus hic amnis in Umbronem influit. Pons Arbiae, pagus ad meridiem Senarum situs, ingenti clade, quam a Senensibus Florentini perpessi sunt, celebris est. Haec pugna etiam Montis aperti (Montaperti) vocatur. — (3) Dominus Naddus, ex familia Piccolomineorum, tunc temporis apud Senenses multum valebat. Anno 1289 municipii Senensis legatus missus est ad Nicolaum IV, et anno 1296 ad Bonifatium VIII. (Vide R. P. Aug. Morini, *Studii storico-critici sopra i Santi Fondatori*, p. 61. Siena, 1888, 8°.) Domini Naddi uxor, beata Gemmina, filia Orlandi Buonsignori, una fuit ex illis piis mulieribus quae sub spirituali B. Francisci regimine ad magnam sanctitatem pervenerunt. Vide Canali, *Vita del B. Francesco Patrizi*, p. 75. Lucca, 1725, 4°. — (4) *Belforte*, castellum in communi Radicondoli, circa 20 chiliometris Senis occidentem versus distat.

traxisset, ita ad perfectum liberatus exstitit, ut ipsum putares nil unquam penitus pertulisse.

47. Quidam, Minutius nomine, de hospitali (1), cum ex uxore sua filium genuisset, illaque de conceptu sollicita ad dies partus appropinquasset, coepit angustiis partus admodum fatigari. Irruentibus autem partus doloribus, peperit abortivum, et figuram infantis protulit sine vitalibus instrumentis, nec illud corpusculum spiritus vegetabat : non ploratus, non halitus, non sensus aliquis, utpote spiritu carens modo quolibet noscebatur. Pater utique huius abortivi foetus, nimium contristatus, ad beatum Franciscum plena fide et tota se devotione convertit; et ut spiritum vitalem et animam rationalem in illud corpusculum a Domino infundi suis meritis obtineret, suppliciter exoravit. Non defuit devotioni ipsius divina gratia; et ecce post trium horarum spatium, infuso spiritu, ad lucem venit. et quasi statim esset de utero matris egressus, primae illius aetatis perfecit officia; et post nonnullos dies, renatus baptismalibus sacramentis, Iohannes, in quo meritis beati Francisci divina apparuit gratia, est vocatus. Gloriosus Deus in sanctis suis, ipse est qui facit mirabilia magna solus, ipse renovans mirabilia sicut a principio.

48. Narrabo et celebre miraculum omni populo notorium. Quidam namque, Vinutus nomine, habebat filium suum in annis puerilibus constitutum. Qui cum aliis puerulis pergens, casu venit iuxta quendam fontem; qui ex impulsu sodalium puerorum in fontem delapsus et submersus suffocatur, et de fonte exstinctus subtrahitur, ita ut in ipso nulla signa vitalia apparerent. Cum ad domum a patre accurrente deferretur, beato Francisco cum devotione a patre et lacrimis commendatur; qui statim vitae restituitur et pedibus ambulat. ac si de somno evigilans nil penitus foret passus.

49. Quidam insuper, Nicholutius Giuntae nomine, ex uxore sua, domina Bruna, filium unum genuit, cui nomen Guntinum a sacris fontibus baptismalibus posuerunt. Hic cum iam esset trium annorum, morbo epileptico vehementer arripitur, qui et febrili insultu permaximo fatigatur. Post paucos autem dies, ex febre valida et morbo adnexo spiritum reddere cogebatur. Sic stetit per duorum dierum naturalium spatium, ut in ipso puero vitae officium penitus non sentires. Parentes itaque sui dolentes, nimium exstinctum puerulum deplorantes, ac nimirum de beati Francisci meritis et gratia confidentes, ipsum devotissime beati Francisci gratiae commendaverunt. Qui, ac si nullam sensisset penitus laesionem, quasi de sopore consurgens, statim est restitutus pristinae sanitati. Quem ad tumulum beati

(1) Hospitale Scalae seu *della Scala*, in quo erecta erat florentissima confraternitas, ut iam diximus.

Francisci, indutum habitu Ordinis (1), per civitatem gestantem in manibus cereum, educentes, se suscitatum meritis beati Francisci publice confitentem, super altare beati Francisci debita reverentia obtulerunt.

50. Petrus quidam olim Mini (2) nomine, cum filium unum ex uxore sua genuisset, et illa in procinctu pariendi partus doloribus angeretur, obstetricesque adessent obstetricandi gratia, quarum una Thurma, altera Nutia vocabatur, ex alvo matris mortuum puerum susceperunt. Quod ut matri et patri, proh dolor ! nuntiarunt, illi profusi lacrimis beato Francisco protinus commendarunt. Et subito est vitae incolumis restitutus ; quem allatum ad sepulcrum et altare beati Francisci devotius praesentarunt.

51. Muctius quidam nomine, de Bonconvento (3), Senensis dioecesis, habebat infantulum quendam, circiter duorum annorum ; qui gravi febre, ut illa patitur aetas, arripitur, et per dies quattuordecim assidue flagellatur. Cumque quartadecima die infantulus nec lac nec alimentum aliquod sumere posset, utpote quia in ipso paulatim exstincta erat virtus vitalis, circa primam vigiliam noctis puer moritur, et a parentibus leviter deploratur. Et ecce circa horam matutinalem beato Francisco puer mortuus a parentibus commendatur, et subito puer a mortis vinculis velut de levi sopore protinus liberatur, et instanter osculantur viventem et sanum, quem antea fleverant iam defunctum. Ad sepulcrum itaque beati Francisci incolumem adduxerunt, et fratribus singulis ostenderunt : quem et ego vidi, et ob devotionem miraculi propriis brachiis baiulavi.

52. Haec de multis pauca, immo quasi innumeris, annotavi ad sanctitatis ipsius praeconia depromenda. Quod si volueris, lector, plura et excellentia valde perspicere, in libro miraculorum ipsius (4) aspicies, in quo fere infinita miracula continentur, ut non sit genus vel species infirmitatis cuiuslibet, cui meritis almi confessoris Christi Francisci non indulserit Altissimus beneficia sanitatis.

53. Hucusque hanc scripsit legendam, ac beati patris nostri Francisci vitam compilavit, et mirabilia magna rettulit reverendus frater Christophorus de Parma (5), domini generalis Ordinis nostri praelibati dignus vicarius. Cui legendae, ex mihi iniuncto mandato, cum homines

(1) Mos erat in Italia ut qui se alicui sancto vovissent, habitum Ordinis ad quem hic sanctus pertinebat, per sex menses vel annum, etiam ubi in publicum prodibant, deferrent. — (2) Id est, filius defuncti Mini. — (3) *Buonconvento* circa triginta chiliometris ad Senarum meridiem iacet. Ibi anno 1313 mortuus est imperator Henricus VII. — (4) Hic *liber miraculorum*, a notariis Senensibus conscriptus, ut Frater Benedictus paulo infra, n. 53 asserit, tempore Poccianti et Gianii, qui illum allegant, adhuc exstabat; hodie vero periisse videtur. Ex eo extracta sunt miracula quae post Legendam ex eodem codice edimus. — (5) Idem de quo supra.

scire multa appetant, sine quod inquireret lector in libro miraculorum, volo esse annexum unum quod inveni, ut ego testimonium perhibeam verbo veritatis, in beato Francisco limpide patefacto. ut in ore duorum vel trium stet omne verbum: quod huic coniungi volo, fuit sub anno Domini Mº IIIᶜ, XXVIIIº, de mense augusti, et per manum notarii, ut mihi visum est, inveni roboratum; et ita in dicto libro miraculorum iacet scriptum. Item quidam dominus Benedictus, puer quattuor annorum, filius cuiusdam domini Gerii Lanarvoli, de populo Sancti Martini (1), qui a nativitate usque ad tempus illud quo apportatus fuit ad sepulcrum dicti beati Francisci, non iverat, dum fuit ad locum nominatum apportatus, subito liberatur. Testes: pater, dominus Geri, mater, domina Mea, soror eius, Minucia, et multi alii quos scribere esset taedium. Haec ibidem. Ne quod ego minimus praedictus, nomine frater Benedictus, inutilis servus et ingratus, cui tanta et talia sunt concessa, vociferabo et clamore valido scribenti manu de illustrissimo et inclito patre nostro Francisco dicam: Certe mihi virtus non praestat, cum de peccatoribus et iniquis sim electus, quos, ut scimus, Deus non audit; sed et ignorantia aufert ut talibus eum qualibus est dignus, queam laudare praeconiis, et excellentibus laudibus iubilare, et virtutibus suas indesinenter virtutes commendare. Non ego testimonium tantum perhibeo, quia me in scriptis beati Francisci inveni, sed quia forte millies a patre audivi et matre ego ipse, et sorore, et quampluribus aliis. Nec non ego, quia puerulus eram, quasi de brevi evigilans somno, ipse vidisse tunc recordabar, superpositum me scilicet super ipsius altare; et insuper audivi. Unde clare videtur ad sancti gloriam haec mihi infirmitas accidisse, et quod de utero matris egressus et ad baptismatis fontem baiulatus, coramque plebano (2) positus illo die sine mora, vidensque me, iisque qui mecum venerant contribulibus admirans, locutus est ita: *An nescitis quia qui creaturam tenet supra tot dies* (3), *sit excommunicatus?* Cui respondetur: *Hodie natus est.* Et semper, dum pater meus et mater carnales huic vitae fuerunt annexi, me ad praedicti beati festum annuatim cum cereo miserunt, nec non multoties mecum venerunt; et ad eius beati laudem quod mihi dicebatur dicere volo. Cum ego ab annis discretionis appeterem pro salute mea esse de Ordine Minorum, ab iis qui me noverant et hoc eisdem palam erat: *Minime hoc esse debet quod tu sis de Ordine Minorum, in quo taliter suas beatus Franciscus de Ordine Servorum virtutes ostendit.* Unde ego non intellegens Dei dispensationem, non tamen beatum despiciens aut Ordinem suum

(1) Populus seu parochia S. Martini non longe distat ab ecclesia Servorum. — (2) Plebanus, italice *pievano*, est rector plebis seu parochiae. — (3) Intellege: *Qui tot dies differt baptismum infantis.*

contemnens, sed ex devotione in pueruli animo concepta usque ad tempus meae ingressionis in Ordine per unum mensem, iam a parentibus praefatis per duos annos transversos praesenti vitae relictus, Ordinem appetivi intrare Minorum; sed ipsius beati meritis inspiratus, mediante unius viri sermone, hunc Ordinem suum sum ingressus, licet improbus servus et infidelis, sub anno Domini M. CCC. XLI, in vigilia sancti Andreae, apostoli Domini nostri Iesu Christi, cui sit honor et laus perennis cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen (1).

Item quaedam miracula supradicti Francisci beati quae non sunt in legenda notata.

Ut non deficiat tantorum mirabilium atque virtutum suarum, id est illustrissimi viri praedicti beati Francisci, memoria, praenotare volo de multis mirabilia aliqua quae inspexi, per notarii signum roborata, brevius quam potero.

1. Quaedam domina Gulielma, uxor olim Andreae, in contrata Senensi quae dicitur Valle piacta (1), patiebatur in brachio, ita quod non poterat eum extendere, quia aridum erat. Quae tangens manum beati Francisci, statim liberata est coram omni populo.

2. Quidam dominus Iohannes Gualterii de Malavoltis (2), patiens malum capitis, in tantum ut quasi lumen non videret, immo prae magno dolore quietem nullam habere posset; cum autem se recommendavit beato Francisco oratione debita et devota, statim est liberatus.

3. Quidam Ioannes Mini de Leonina (3), in tibiis aridus per tres menses, pergens ad sepulcrum beati Francisci, coram evidenti populo est sanus effectus.

4. Quidam Bartholomaeus Simonis perdidit brachium, taliter quod nullo modo poterat eum extendere; et cum se beato voveret, ilico liberatur.

5. Eodem die quo reverendus pater migravit ad Christum, quaedam mulier, dicta Gerrona, uxor cuiusdam Manfredi, patiens apostema maximum in coxa dextra, a cuius liberatione medicus desperabatur, persuasa fuit ut praedicto sancto se devote recommendaret. Quae quidem sopita, a voce quadam vocata fuit ut faceret illud

(1) *Valle piatta*, vicus Senarum, non longe a cathedrali iacet. — (2) Malevolti inter primores civium Senensium numerabantur. — (3) *Leonina* in communi Asciano circa 8 chiliometris Senis orientem inter et meridiem sita.

idem. Illa autem se sentiens, vocem quidem audiebat. neminem videns, nec cuius vox fuerit recognoscens. Unde devota fide votum fecit; et die illa surgens de mane, est meritis sancti continuo liberata de sua infirmitate multis manifesta.

6. Quaedam, nomine Balduccia ser Incontri de Sancto Quirico (1), comitatus Senarum, dum fuisset passa pluribus quattuor mensibus infirmitatem quandam in oculo dextro, ita ut fere intueri posset ad pedes, recommendans se dicto sancto, continuo liberatur; et sic discedens a domo sua, sepulcrum eius discalceatis pedibus visitavit.

7. Quidam mercator faber de plebe Marmorariae (2), cum de uno oculo lumen non videret, vovit devote, et illuminatur strenue.

8. Quaedam, Mina nomine, uxor ser Dati de Fileta (3), in oculis impedita, lumen cernere non valebat. Audiens virtutem tanti sancti, cum reverentia de loco dicto veniens, perrexit ad sepulcrum eius, et statim coram multis liberata recessit videns.

9. Quidam Casinus Casini, de monte Sanctae Mariae, comitatus Senensis, propter ponderis sumptionem fractus erat, ita quod viscera descendebant in vesicam per quattuor menses. Audiens vero miracula beati Francisci, cum reverentia accedens, visitavit tumulum eius, et oratione admissa, cognovit se liberatum.

10. Angelus Nutini Naddi patiebatur in pectore, in tantum ut de eius vita dubitaretur. Recommendatur devote a nutrice, et ex instanti liberatur.

11. Quidam, nomine Petrus Saltuccii, cum pateretur per annum febrem quartanam, recommendans se reverenter beato Francisco, visitavit eius sepulcrum, a febre minime dimissus; et videntibus multis, continuo liberatur.

12. Domina Angela, uxor domini Gontieri, filiam habens passam magnis febribus per quinque septimanas, audiens vitam et miracula beati Francisci, eidem cum devotione praedictam filiam vovit; cui fidei conceditur meritis beati Francisci liberatio.

13. Ursus Naddi de Marlia de Luca, in latere dextro impeditus, audiens vitam et virtutes beati, cum fide magna de balneo veniens, et cum devotione perseverans ante corpus eius, qui per multos menses est passus nec balneo aut medicinae carnalis cura est sanatus, coram multis ilico liberatur.

14. Insuper Mante nomine, famula domini Angeli Grifoli, ex uno latere nil valens, vovit et ilico liberatur.

(1) *San Quirico* circa decem chiliometris a pago Buonconvento paulo inter orientem et meridiem distat. — (2) *Marmoraja* inter Volaterram et Senas, ab hac urbe circa 20 chiliometris dissita est. — (3) *Fileto* in valle Mersae 19 circiter chiliometris distans Senis meridiem versus.

15. Pancolinus de Monte aperto (1), cum morbo epileptico laboraret, votum fecit, et meritis beati Francisci liberatur.

16. Quidam de Pulciano (2), non audiens per annum, recommendavit se beato, et liberatur continuo.

17. Nona die post obitum eius, quidam comedens lactucas in vesperis et caseum, dolores sensit subito valde magnos, ita ut omnes puta[rent] (3). . . . .

18. Quidam puer, filius cuiusdam nomine Crassi Barlettarii, de populo Sancti Georgii (4), casu unius magni ponderis carnis aridae in altum suspensae super praedictum puerum, per vulnus mortuus, meritis beati, oratione matris fusa ad beatum et aliorum parentum, resuscitatur. Quod didici relatione reverendi nostri fratris viri religiosi, ad quem fuit prius per manum notarii roboratum testimonio.

(1) *Montaperti*, ut iam diximus, Florentinorum clade celebris est. — (2) *Montepulciano* inter meridiem et orientem, circa 50 chiliometris Senis iacet. — (3) Hic in codice, ut in prologo dictum est, deerat unum aut plura folia. — (4) Parochia Sancti Georgii satis vicina est ecclesiae Servorum.

VITA
SANCTI NAAMATII
DIACONI RUTHENENSIS
EXTREMO SAECULO VI, UT VIDETUR, CONSCRIPTA

Humanissime nobiscum communicavit v. v. Ludovicus Servières, decanus in dioecesi Ruthenensi, Vitam S. Naamatii, Ruthenensis ecclesiae diaconi, quam repperit in codice quodam bibliothecae nationalis Parisiensis (1), a scriptore recentiori exscriptam et insertam inter documenta ad historiam ecclesiae Ruthenensis pertinentia (2). Hanc Vitam compositam esse post medium saeculum VI colligitur ex brevi prologo, in quo anonymus scriptor se auctore Dalmatio episcopo, qui ecclesiam Ruthenensem moderatus est usque ad annum 580 (3), manum admovisse operi protestatur. Neque ullum in ipsa scriptione apparet indicium cur id falso ab eo dictum existimemus : quippe quae omnino referat rude illud et insulsum scribendi genus, laudatione generali et miraculorum parum credibilium enarratione plus aequo copiosum, at rebus quae ad scientiam historicam augendam quicquam conferre valeant admodum ieiunum, quod fere Vitis sanctorum illo aevo confectis commune est.

Porro ex hoc fonte derivata esse quaecumque de S. Naamatio sequioribus temporibus tradita sunt, facile perspiciet qui ea a nobis collecta inter *Acta Sanctorum* ad diem quartam Novembris (4) relegerit; nisi quod posterior aetas S. Naamatium cum S. Amantio ita coniunxit ut illum ab hoc sancto episcopo diaconum ordinatum et ei deinceps adhaerentem confingeret. Itaque non solum nihil iuvat haec Vita S. Naamatii ad primaevam historiam Ruthenensis ecclesiae magis elucidandam, sed et valde suspectam facit sinceritatem traditionis de sancti commercio cum S. Amantio, quae hactenus satis antiqua et certa videri poterat. Neque etiam ex hoc documento quicquam colligere licet ad definiendum qua aetate vixerit sanctus : nimis enim sublestae fidei est narratiuncula illa de itinere romano, quae ex aliis antiquis Vitis sanctorum forsan deprompta est (5), quam ut ea in illam rem iure niti valeamus.

(1) Olim Colbert. 143, codex iste nunc inter mss. gallicos signatur n° 2637. — (2) *Histoire des evesques de Rodez*, par Antoine Borral (1548-1627). — (3) Greg. Tur., *Hist. Franc.*, V, 46 (ed. W. Arndt, p. 238). — (4) *Act. SS.*, Nov. t. II, part. I, pp. 288, 289. — (5) V. g. in Vitis S. Viti (*Act. SS.*, Iun. t. II, p. 1024), S. Tryphonis (*Cat. codd. hag. Paris.*, t. I, p. 287-89) S. Maturini (*Act. SS.*, Nov. t. I, p. 250), et ap. Gregorium Turon. *in Glor. conf.*, 62 (ed. B. Krusch, p. 784).

Vita sancti Naamatii, diaconi Ruthenensis ecclesiae

[Prologus]. Imperio patrum maximi sanctissimique Dalmatii pontificis amata cogor rumpere silentia et magno cum labore otia permutare, atque immenso reluctantia oneri colla submittere. Iniungit enim, ut gloriosi Naamatii vitam, ne memoriae vetustas adimat munera divina, et ingenii nostri servitio monumenta suscipiant litterarum. Quid agam? Hinc cogit imperium; hinc obstat pudor. Sed ardua licet praecipiat et imperita doctis audienda committat, tamen, quoniam obsisti tantae auctoritati non potest, nos, ut possumus, pareamus.

1. Igitur beatus Naamatius Ruthenae urbis fuit civis, levita et confessor. Qui patriam virtutum meritis illustravit et Ecclesiam vitae severitate correxit, caelos beatae consummationis palma conscendit; quique nunc etiam commissam sibi a Domino urbem felicium meritorum commendat suffragiis, tuetur patrociniis, inflammat exemplis. In quo tanta virtus humilitatis emicuit, ut cum in honore levitico Stephani, Laurentii ac Vincentii collega, claritate stolae et divinae gratiae luce fulgeret, unum de famulis ad presbyterii apicem, a sancto antis[ti]te petierit sublimari, credens se dignitatum summam conscendere, si honoris gradu famulo subderetur. Cui specialis haec etiam virtus munere divino collata est, ut ab obsessis corporibus sermone divino daemones effugant, nec omnino vis inimica membra collideret, sed cum bellator adfuisset egregius, statim nequissimi spiritus celeri fuga meritum testarentur.

2. Quondam cum adveniente sancto Naamatio possessum cuiusdam corpus atrocissimus praedo desereret, usque ad Romanam urbem se sanctum virum perducturum proclamat et laborem saevum longi itineris fugiens comminatur. Tum ille subridens : *At discede,* inquit, *serpens, discede. Virtus militum Christi conflictu tuo non frangitur, sed probatur : de generis animi est laborem cedere otio. Ignavus dicet : Gloria erit quicquid labori detrahitur. Militibus Christi foris pugnandum est. Spiritualia bella dimittuntur, cum corporis otia requiruntur. Sunt nunc divina praelia; sed erunt praemia sine fine mansura. Iacula tua infirma penetrant, solidis excepta franguntur. Terrore tuo expertus sum nova luctamina; quicquid inferre te Redemptor permiserit, patienter excipiam.* Vix verba finierat, cum quem vis inimica possederat, sospitate recepta, grates Christo referens pedes complectitur bellatoris.

3. Igitur antiquus hostis, levi illa mobilitate et fuga celeri Romam protinus petit et, ut moris ei est, potentia sua impotentem aggreditur. Intrat itaque splendidam regali luxu aulam, intrat quippe ut in pro-

pria, subiectam per vitia. Invadit ilico regiam virginem, et Romani principis filia anguis saevissimi fit captiva. Oblita enim virginalis verecundiae, oblita etiam decoris regii, immemor atque impos sui, prosilire in publicum ac disrumpere cubiculi secreta pertentat. Tanti enim viri filia, furore vesana lymphatico atque artissimi ferri nexibus constricta, gemina infelix poena torquetur. Sancti igitur viri, qui nequissimum spiritum ab obsesso corpusculo extruderent, inquiruntur. Sed atrocissimus inimicus, per alienum proprio furore desaeviens, nisi nobilissimus civium primus praecipuusque levita Naamatius e Ruthena adventaret urbe, ab alio se non posse eici e corpore captivo testatur. Ad Ruthenam mox urbem celeri cursu pertenditur, preces levitae a principe diriguntur, et vix exoratus sanctissimus Naamatius, imperatori maerore confecto pereuntem iam filiam reddituros adventat : mens enim pia facile precibus permovetur. Sancto labore iter aggreditur; caelum mente conscendit, ingreditur corpore iter, et meritis iam Romae adest. Nam ad sancti viri adventum acrius se ferox hostis spiritalibus verberari flagris ultricibusque flammis exuri horribili stridore commemorans, gravius puella furoris atrocitate dilacerat. Aestuat interea discrimine filiae anxius imperator, et obvios iterumque mittens supplices, nisi levita festinus occurrat, maturo testatur filiam exitu perituram. Sed cum beatus pater Naamatius alacrius prodire non posset quam gravitas morum permitteret aut rigor propositi pateretur, pallium collo demptum dirigit. Quod ut allatum ac membris iunctum est debacchantis, illico dira fremens atque horrisona voce clamitans, sacri velaminis medente tactu expulsus invasor aufugit. Ita beatissimus pater Naamatius principis filiam virtute praevia sospitem prius reddidit quam videret.

4. Exsultat interea imperator, miscentur mutati fletus in opera laetitiae. Tum beatus pater Naamatius auctor causaque advenit gaudiorum; quem senatus romanus, illa potentia ac singulari auctoritate venerabilis, mira exsultatione suscipiens, laudabilis ad caelos effert. Interea extensis in amplexus ulnis prodiit obvius imperator, sanctis etiam adhaeret iam sospes puellae vestigiis, prius sancti viri Naamatii sanata meritis quam nota conspectibus. Ita hostis antiquus sancto patri Naamatio dum inquietudinem parat, gloriam detulit; dumque eum laboribus frangit, laudibus honoravit. Offert igitur beato patri ob meritum redditae sanitatis auri argentique immensa munera, sed aurum argentumque pauper Christi Naamatius ditior imperatore contemnit; basilicam tamen, in qua sacrum corpus tumulandum quiesceret postulavit. Quod libentissime ab imperatore concessum est.

5. Excepit interea reducem patria virum Naamatium virtutum titulis et meritorum luce fulgentem. Qui cellulae redditus, sanctum

corpus ieiuniis, vigiliis et perpetuo orationum labore consumit. Exercet crucis vomere terram suam et laeta centesimi fructus ubertate locupletat. Dum ergo levita sanctissimus Naamatius hostem fidei prosternit in terris, vim intulit caelo; dumque votis ferventibus regem petit, regna caelorum pervasit.

6. Plura post haec tempora fluxerant, cum religiosus quidam Ruthenae ecclesiae ob necessitatem tenuissimi victus, negotiationis commercio lucrum quaesiturus Petragoricam urbem expetiit. Huic scelestus quidam itineris societate coniungitur. Qui ut maenia attigit, furtum consuetudine criminum magistra committit, atque terrore conscientiae stimulatus aufugit. Repertus mox socius et in carceris pedore coniectus est. Cui adstare visus est in somniis vir miri decoris stola conspicuus, qui se Naamatium sanctae ecclesiae Ruthenae levitam esse commemorans, fugam suadet. Disrumpenda vincula, ac reseranda carceris claustra testatur; monet etiam ut superpositum limini panem sumat et incumbenti prae foribus cani iaciat, ne aut rabies reddat saucium aut latratus prodat incautum. Christi servus somno excutitur, et cohaerentium oblitus fletuum; vagis luminibus quaerit Naamatium. Interea catenae disrumpuntur ut filum, patent fores, repertus voracissimi canis victui panis, ei proicitur. Ita fidelem famulum poena eripuit patriaeque ad limina sanctissimus Naamatius reddidit.

7. Nunc qui hodierna die sacrae vocationis eius et beatae depositionis sollemnia celebramus, canantur psalmi, resonent lectiones, cunctorum mentes possideat sancta laetitia; precemur sanctissimum patrem uti commissae sibi urbis curam gerat. De se securus, sit nostri sollicitus; sequamur patronum, quem praemisimus advocatum, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, laus et gloria apud aeternum Patrem, potentia et divinitas in saecula saeculorum. Amen.

BULLETIN

DES PUBLICATIONS HAGIOGRAPHIQUES

N. B. Les ouvrages marqués d'un astérisque ont été envoyés à la rédaction.

M. G. Krueger, de Giessen, vient de publier un manuel d'histoire de la littérature chrétienne aux trois premiers siècles, qui rendra des services à d'autres qu'aux étudiants auxquels il est destiné (1). La place que les différents auteurs y occupent est déterminée par l'importance de leurs ouvrages, et non par leur situation ecclésiastique; ce ne sont pas les Pères de l'Église que M. Krüger considère, ce sont les écrivains, replacés dans leur milieu et à leur époque. Une courte notice résume avec autant de clarté que de concision ce que l'on sait sur chacun d'eux et sur leurs ouvrages, ou fait au moins connaître l'opinion courante sur la matière; l'indication sommaire des meilleurs travaux permet de trouver aisément ailleurs les développements nécessaires. La première partie de l'ouvrage est consacrée aux origines de la littérature chrétienne, aux écrits du Nouveau Testament et aux apocryphes. La seconde partie est intitulée : la littérature gnostique. La troisième, de loin la plus considérable, traite de la littérature ecclésiastique. Celle-ci naît avec les apologies et les plus anciennes réfutations des hérésies pour se développer bientôt dans les premiers essais de théologie savante que l'on voit éclore dans les principaux centres, en Égypte, en Asie mineure, en Syrie, en Afrique, à Rome. L'auteur a groupé, à la fin, dans des chapitres distincts, ce qui a rapport aux légendes et aux passions des martyrs depuis Antonin jusqu'à Licinius. Nous aurions mauvaise grâce à lui chercher querelle sur cette disposition qu'il est tout le premier à trouver peu logique. En effet, l'impression qu'on éprouve en parcourant la liste de ces pièces de provenance et d'autorité souvent problématique, c'est que la critique n'a pas dit son dernier mot sur la plupart d'entre elles, et qu'il serait grand temps de reprendre celles qui n'ont été étudiées que par les premiers éditeurs, aux temps héroïques de l'hagiographie. Quand on sera parvenu à leur assigner une date et à découvrir approximativement le lieu de leur origine, on pourra demander à M. Krüger ou à celui qui tiendra au courant son excellent manuel de mettre chacune d'elles dans le cadre qui lui convient.

(1) * G. Krueger, *Geschichte der altchristlichen Literatur in den ersten drei Jahrhunderten (Grundriss der theologischen Wissenschaften*, t. IX), Freiburg i. B., Mohr, in-8°, xxii-255 pp.

Le manuel d'iconographie que vient de publier M. H. Detzel (1) marque un sérieux progrès sur les essais de ce genre que nous possédons jusqu'ici. Ce n'est plus un simple catalogue descriptif d'objets d'art disposé dans un ordre plus ou moins logique; c'est l'histoire des différents sujets que les artistes ont été amenés à traiter pour satisfaire aux besoins du culte ou de la piété chrétienne. Les thèmes si divers sur lesquels se sont exercés les peintres et les sculpteurs de toutes les écoles sont étudiés dans leur développement; nous suivons pour chacun d'eux, depuis l'origine, le courant de la tradition artistique, dans lequel se reflètent souvent d'une façon saisissante les croyances populaires ou les spéculations des savants. L'iconographie des saints, qui fera l'objet du second volume, est naturellement celle qui nous intéresse davantage; il y aura lieu de l'examiner dans le détail. Le premier volume, qui fait vivement désirer la suite, est consacré aux représentations de Dieu, de la Sainte Vierge, des bons et des mauvais anges, des mystères. Dans un appendice sont traités quelques sujets spéciaux : la création du monde, les Sibylles, les personnages de l'Apocalypse, le traître Judas. Nous ne voulons pas faire un grief à l'auteur de certaines omissions qui sont sans doute intentionnelles. Il est bien des sujets de l'Ancien Testament, par exemple, qui ont été popularisés par les artistes chrétiens et qui ne sont pas mentionnés. Mais faut-il exiger d'un auteur que du premier coup il épuise son sujet, au risque de retarder indéfiniment l'apparition de son œuvre?

Il est tel point, cependant, que M. Detzel ne pouvait, nous semble-t-il, s'empêcher de traiter. Dans l'iconographie de la Sainte Vierge, il ne fallait pas omettre le type si répandu de la Vierge au glaive ou aux sept glaives (2), ni la représentation des Sept joies, des Sept douleurs, ou des mystères du rosaire dans leur ensemble (3). Mais c'est trop tôt parler d'une lacune que le second volume ne laissera peut-être pas subsister. L'illustration ne rappelle que de loin le luxe de certaines publications artistiques. Mais elle est très suffisante pour appuyer la lecture, et offre l'avantage de ne pas mettre un bon livre à un prix inabordable.

M. E. A. Wallis Budge, auquel nous devons déjà les Actes coptes de S. Georges, vient d'éditer (4) trois morceaux composés dans le même idiome, en l'honneur de l'archange S. Michel; le premier a pour auteur Théodose, patriarche d'Alexandrie (536); le second, Sévère, patriarche d'Antioche (512-519) et le troisième, Eustathe que le manuscrit appelle évêque de " l'île de Thraké " (5).

(1) * H. Detzel, *Christliche Ikonographie, ein Handbuch zum Verständniss der christlichen Kunst*, Freiburg i. B., Herder, 1894, in-8°, t. I, IX-583 pp., avec 200 figures. — (2) Voir *Anal. Boll.*, t. XII, p. 333-52. — (3) Une autre critique en passant. L'inscription Anne-Mara sur un petit monument publié par Garucci, *Storia dell' arte cristiana*, tav. 191[2], ne mentionne pas Ste Anne, mais Ste Agnès. — (4) *Saint Michael the Archangel*, London, 1894, 8°, pp. XXXVII-108*-242. — (5) Cet endroit est précisé dans le texte qui rappelle que S. Jean Chrysostome y fut exilé. Mais c détail ne fait qu'augmenter la difficulté. Voir la solution assez plausible donnée par M. W. E. Crum, *The Academy*, 28 février 1895, p. 173.

Avec le texte copte des trois pièces, l'éditeur donne des extraits de la version arabe de chacune d'elles, et la recension éthiopienne du discours de Sévère. Une traduction anglaise et une analyse sommaire de tous ces textes permettent au lecteur qui n'est pas familiarisé avec les langues orientales de se faire une idée très complète de la valeur et de l'intérêt de la publication de M. Budge (1). Ces trois *encomia* de S. Michel ne sont pas, comme on pourrait le croire, exclusivement parénétiques; ils renferment le récit de trois miracles opérés par l'intercession de l'archange. Malgré leur caractère évidemment légendaire, ces narrations offrent un certain intérêt pour l'histoire du culte rendu à S. Michel dans les Églises d'Orient. M. Budge ne se prononce pas sur l'origine première de ces récits. On n'en trouve aucune trace dans les monuments connus de la littérature hagiographique byzantine, et pourtant l'on sait combien ils sont nombreux. Mais ce n'est là qu'une présomption pour attribuer à ces miracles de S. Michel une origine exclusivement égyptienne, et c'est pour le premier seulement que les caractères intrinsèques vérifient cette appréciation. Les deux autres peuvent également provenir d'une source hellénique, hypothèse confirmée par le nom des auteurs. Mais qui nous assure que cette attribution des manuscrits coptes est exacte? Pour Eustathe de Thraké, elle est sûrement apocryphe.

On sait que le saint pape **Damase I** a transmis à la postérité l'éloge poétique d'un certain nombre de héros chrétiens. Plusieurs de ces petits poèmes ont été conservés sur la pierre originale; d'autres nous sont parvenus dans des recueils manuscrits. On conçoit qu'avec le temps il y ait eu des mutilations et des infiltrations étrangères et qu'il soit souvent malaisé de démêler le vrai Damase du faux. Pour trancher la question d'authenticité, J.-B. de Rossi avait assigné trois critères: le témoignage de Damase lui-même, le style et le caractère philocalien de l'écriture (2). M. M. Ihm vient de soumettre à un examen attentif la théorie du maître (3). Il admet les trois critères, mais en y apportant de sages réserves et d'utiles compléments. Personne n'ignore que le côté faible de l'illustre archéologue romain

(1) Un index des transcriptions coptes de mots grecs est joint à l'ouvrage. Il est malheureusement déparé par un nombre trop considérable de fautes d'impression. Quelques identifications ne semblent pas heureuses; ainsi ΑΠΟΤΑΖΕCΘΕ, que M. Budge change, sans raison, en ΑΠΟ[C]ΤΑΖΕCΘΕ pour le rapprocher de ἀποστατέω, est bien plutôt une forme, corrompue il est vrai, de ἀποτάσσομαι. ΒΙΤΗC est plus près de βούτη (voir *Revue des questions historiques*, janvier, 1895, p. 89) et de βούττις (Sophocles, *Greek Lexikon)* que de πίθος, du reste M. Budge n'identifie qu'avec doute. ΠΙΡΑΖΙΝ et ΠΡΟΦΗΤΕΥΙΝ sont plutôt πειράζειν et προφητεύειν que πειράω et πρόφημι. CΥΝΗΔΕCΙC n'est pas συναίτησις, mais bien συνείδησις. Les textes où le mot intervient dans la publication de M. Budge ont exactement le sens du terme συνείδησις dans I *Petr.*, II, 19. Dans *The Academy*, n° du 28 février 1895, M. W. E. Crum a présenté quelques autres corrections philologiques qui nous paraissent très acceptables. — (2) *Bulletino di archeologia cristiana*, 1884-5, pp. 15 sqq. — (3) *Die Epigramme des Damasus*, dans le Rheinisches Museum für Philologie, Neue Folge, Bd. L (1895), pp. 191-204.

était sa critique philologique. C'est sur ce terrain surtout que le docteur allemand trouve matière à de bonnes observations. Ainsi il a découvert que Damase n'emploie jamais la conjonction *et* dans ses vers, sinon dans le sens de *etiam*. Il convient enfin, dit M. Ihm, de tenir compte d'un quatrième critère, la métrique et la prosodie du poète. Damase se permet couramment de grandes licences et des irrégularités; mais il est des énormités qui jurent avec la facture constante de son vers, et qui dès lors rendent une pièce suspecte. Tout le travail du savant allemand, qu'il est impossible de résumer, sera lu avec fruit par les archéologues.

Le *Pèlerinage de Silvia* continue à servir de thème aux dissertations savantes dans toutes les branches de l'érudition.

M. P. Geyer complète ses remarques critiques qui contribuent à la fois à établir le texte du morceau et à confirmer l'opinion de M. Gamurrini sur le pays d'origine de la voyageuse que nous appelons Silvia (1).

Dom Cabrol nous donne tout un volume dans lequel il commente savamment le célèbre itinéraire (2). Laissant à d'autres la partie philologique, il reste dans son rôle de professeur d'histoire, en s'attachant à exposer ce que nous apprend Silvia sur la topographie religieuse de Jérusalem et des environs, sur la liturgie quotidienne et celle des grands jours, sur la discipline du jeûne, sur l'instruction des catéchumènes. En toutes ces matières la *Peregrinatio* précise et élargit nos connaissances. Si les recherches de Dom Cabrol n'épuisent point les richesses contenues dans le document, du moins son programme est nettement dessiné. Pour le remplir il a parfaitement profité des travaux antérieurs, et souvent il les complète fort à propos. C'est avec une prédilection marquée qu'il s'arrête aux catéchèses de S. Cyrille que la description de Silvia aide tant à comprendre (3). Ceux qui reprendront ce sujet, un des plus intéressants de l'histoire ecclésiastique, pourront tirer parti du travail de dom Cabrol. L'auteur a bien fait de mettre en appendice les questions particulières qui auraient pu gêner son exposition. Mais celui qui traite de la date du voyage et de son auteur aurait dû figurer en tête du commentaire.

Les hagiographes pousseront un profond soupir en lisant, p. 129, que la disparition des dernières pages du manuscrit unique d'Arezzo les prive précisément des renseignements sur les fêtes des martyrs. Ils feront bien de se rappeler que la partie qui nous reste n'est pas absolument stérile pour leurs études. Silvia n'a pas seulement visité le Sinaï et Jérusalem. Elle s'est rendue à Édesse où elle a prié sur le tombeau de S. Thomas (4), et où on lui a fait lire les *Acta Thomae*. C'est de là aussi qu'elle a rapporté des exemplaires des lettres de Notre-Seigneur et d'Abgar plus complets

(1) P. Geyer, *Zu Silviae peregrinatio ad loca sancta*, Archiv für lateinische Lexicographie, t. IX (1894), pp. 288-300. Voir *Anal. Boll.*, t. XI, p. 473. — (2) * Dom F. Cabrol, *Étude sur la Peregrinatio Silviae. Les églises de Jérusalem, la discipline et la liturgie au IVe siècle.* Paris, Oudin, 1895, 8°, 208 pp. — (3) L'étude des catéchèses de S. Cyrille pourra beaucoup profiter aussi du savant ouvrage de F. Kattenbusch, *Das apostolische Symbol*, Leipzig, 1894, p. 233 sqq. — (4) Gamurrini, *S. Silviae Aquitanae peregrinatio*, ed. 2a, p. 33.

que ceux qu'elle connaissait, probablement par Eusèbe. De Séleucie en Isaurie, elle se rend à l'église de Ste Thècle, située à un mille et demi de la ville ; dans un des monastères qui entourent le sanctuaire, elle retrouve la diaconesse Marthana dont elle avait fait la connaissance à Jérusalem (1). A Chalcédoine. elle n'oublie pas le tombeau de S[te] Euphémie (2). Le passage de la *Peregrinatio* le plus intéressant au point de vue hagiographique se trouve dans le récit du voyage à Carrhes, en Mésopotamie. On nous saura gré d'en reproduire quelques lignes.

Nam ecclesia, quam dixi foras civitatem, dominae sorores venerabiles, ubi fuit primitus domus Abrahae, nunc et martyrium ibi positum est, id est sancti cuiusdam monachi, nomine Helpidi. Hoc autem nobis satis gratum evenit, ut pridie martyrium die ibi veniremus, id est sancti ipsius Helpidii, nono k. maias : ad quam diem necesse fuit undique et de omnibus Mesopotamiae finibus omnes monachos in Charra descendere, etiam et illos maiores, qui in solitudine sedebant, quos ascites vocant, per diem ipsum, qui ibi satis granditer attenditur, et propter memoriam sancti Abrahae, quia domus ipsius fuit, ubi nunc ecclesia est, in qua positum est corpus ipsius sancti martyris.... (3).

Voilà des détails bien précis sur un martyr inconnu d'ailleurs. Les deux Helpidius cités dans le martyrologe hiéronymien quelques jours plus tard, au 27 avril, sont distincts de celui ci; l'un d'eux est un martyr de Nicomédie, l'autre de Melitène. Le *nono kal. maias* de notre texte semble bien se rapporter au jour de la fête, non à celui de l'arrivée de Silvia. La date de cette fête est donc le 23 avril. Le saint était un moine qui souffrit le martyre. Le sanctuaire où reposait son corps était situé près de Carrhes, à l'endroit où l'on plaçait la maison d'Abraham. L'anniversaire de son martyre y attirait une grande foule, notamment les moines de toutes les parties de la Mésopotamie, y compris les solitaires. Voilà une bonne page à ajouter aux *Acta SS. Aprilis*.

Il reste encore beaucoup d'inédit dans la littérature hagiographique relative à **S. Georges.** La bibliothèque nationale de Paris fournirait à elle seule la publication de sept pièces grecques encore inconnues, et d'autres dépôts viendraient assurément grossir ce nombre. C'est ce que démontre le travail de M. Chrysanthe Loparef, qui vient de publier, en une double recension russe, le texte d'un miracle opéré au x[e] siècle par l'intercession de S. Georges en faveur d'un Bulgare qui portait son nom (4). Nous signalons surtout ces morceaux, parce que M. Loparef, approuvé en ce point par M. Krumbacher (5), a montré que les textes russes dérivent indubitablement d'un original écrit en grec. On peut donc espérer

(1) Gamurrini, pp. 42, 43. Faisons remarquer en passant que l'expression *Sancta diaconissa nomine Marthana* ne suffit évidemment pas pour la mettre au nombre des saintes. S. Basile de Séleucie la cite parmi les imitatrices de S[te] Thècle; mais rien ne prouve que cette respectable femme ait été l'objet d'un culte public. — (2) Gamurrini, p. 44. — (3) Gamurrini, p. 38. — (4) * *Miracle de S. Georges en faveur d'un Bulgare* (en russe). Publication de la *Société des anciens textes*, fasc. C, Saint-Pétersbourg, 1894, in-8°, pp. 24. — (5) *Byzantinische Zeitschrift*, t. IV, p. 199.

retrouver quelque jour le texte grec dans quelque bibliothèque, et la publication de M. Loparef fera qu'il ne passera pas inaperçu.

Le R. P. Bedjan vient d'achever le cinquième volume de la grande collection qu'il a entreprise d'Actes de saints et de martyrs (1). Sans vouloir diminuer en rien le mérite de cette vaste et utile publication, nous devons cependant déclarer que nous ne saurions partager l'appréciation émise par le savant éditeur sur la partie de son recueil qu'il nous offre aujourd'hui. Sans doute, ce volume renferme un plus grand nombre de pièces inédites en syriaque que ses aînés, mais la plupart de ces morceaux, à l'exception d'un ou deux, sont parfaitement connus par les documents originaux grecs depuis longtemps publiés. Il est vrai que nous ne sommes point placés au même point de vue que le R. P. Bedjan ; nous cherchons davantage l'intérêt historique, tandis qu'il est avant tout préoccupé de l'édification de ses lecteurs syriens. Il est aussi à remarquer que le dernier document publié par le P. Bedjan n'est pas inédit, comme l'auteur le pense ; voilà près de vingt ans qu'il a été imprimé et traduit par les soins de Ph. E. Pusey (2).

Voici les Vies de saints que renferme le nouveau volume du R. P. Bedjan.

1° Vie de S. **Antoine** l'ermite. C'est la narration bien connue, attribuée à S. Athanase (3).

2° Vie de S. **Pakhome**, traduction du texte grec Αὐταρκῶς μὲν τὰ γραφέντα.

3° Vie de S **Macaire**, écrite par son disciple Sarapion. On ne connaît jusqu'à présent qu'un texte copte de ce document (4).

4° Vie de S. **Sarapion**. Ce qui a été publié jusqu'à présent de la littérature hagiographique grecque et copte n'offre aucune pièce qui puisse être comparée avec ce récit.

5° et 6° Vies de S[te] **Marie l'Égyptienne** et de S[te] **Euphrosyne**, traduits de documents grecs, bien connus. La Vie syriaque de S[te] Euphrosyne est celle dont le texte grec a été publiée dans cette Revue (5).

(1) De hac imagine cfr. AD. BARTSCH, *Le Peintre graveur* (1808), p. 249, num. 131; de monogrammate *I. M.*, vid. G. K. NAGLER, *Die Monogrammisten*, t. III (1863), p. 1085, num. 2806.

Fid.-Comm. Bibl. 9373) tradit de codice olim in ea signato *l. 7. V*, scilicet : *Vita sanctae Odiliae cum aliis diversis.*

Occurrunt in codice tum ascetica nonnulla, tum " tota biblia metrice compilata ", tum maxime

Vita S. Odiliae [viduae Leodiensis] (fol. 1-91).

Opus in tres libros divisum, ex quibus duo priores nuper editi sunt in *Anal. Boll.*, t. XIII, p. 199-287; tertius olim a Chapeavillo, nuper vero ab I. Heller editus est in *Mon. Germ.*, Scr. t. XXV, p. 172-91. Integrum libri tertii textum excusum cum codice Vindobonensi postquam contulimus, deprehendimus vix quasdam subinde occurrere lectiones variantes, quae et parvi momenti sunt. Potiores hic adnotamus : *MG.* l. c., p. 172, lin. 20 : *a vobis*, cod. *ab emulis*; — lin. 33 : *Moha*; cod. ubique *Muha*; — p. 173, lin. 22 et 30 : *mamburno, mamburnus*, cod. *mamburdo, mamburdus*; — lin. 26 : *noveritis*, cod. *noverint*; — p. 174, lin. 21 : *respondit*, cod. *spopondit*; — l. 31 : *vacuum lapidem*, cod. *acervum lapidum*; — l. 36 : pro : *Crucifixus*, cod. *quotiens crucifixus appareat*; — l. 38 : *utque visionem trinitas impleret*, cod. *utque visionum trinitas impleretur*; — p. 175, l. 18 : *ipse*, cod. *ipsius*; — l. 19 : *Namucensi*, cod. *Nam*; — l. 46, post *certe*, add. cod. : *numquid non vir nobilis et dives es ?* — ibid., post *etsi*, add. cod. *nunc*; — p. 176, lin. 30 : *impii — occidit* cod. *martyris pii*; — lin. 37 : *dolentes*, cod. *dolentem*; — p. 178, lin. 29 : *sancti Floreberti ep. et conf.* om. in cod.; — p. 183, lin. 52, post *Theodericus*, add. cod. : *de Walecuert*; — p. 187, lin. 23 : *1214*, cod. *1213*.

X. Codex signatus 7926.

Partim membraneus, partim chartaceus, foliorum 247 (0^m,25 × 0,132), ex variis laciniis compositus, quae lineis plenis et diversis manibus saec. XV exaratae sunt. Originem codicis indicant haec verba (fol. 182^v) : *Pertinet fratribus Rubeevallis in Zonia prope Bruxellam.*

Praeter documenta hagiographica, de quibus mox, continet codex non pauca opuscula ascetica, ut puta Iohannis Gersonii, S. Bernardi Claraevallensis, Odonis Cantuariensis, Dionysii Carthusiensis, praesertim vero Iohannis de Schoenhovia, quondam supprioris in Viridi Valle, nimirum non minus sedecim epistulas aliosve libellos.

1° Conversio S. Katherinae virginis (fol. 203-6).

Narratio de conversione S. Catharinae ed. apud Varnhagen, *Zur Geschichte der Legende der Katharina von Alexandrien* (1891), p. 18-23; est tamen ubi textus codicis illum potius referat, qui editus est in nostro *Catal. Brux.*, t. I, p. 105-8. Subiunctum est (fol. 206-6^v) miraculum ed. in *Catal. Brux.*, t. II, p. 172, num. 17.

2° Translatio S. Katherinae virginis (fol. 207-9).

Ed. ibid., p. 175-7; subiunctum est (fol. 209-10^v) miraculum ed. in Legenda aurea (ed. Th. Graesse, Dresdae, 1846), p. 914-5 et apud Varnhagen, op. cit., p. 24-26.

XI. Codex signatus 7927.

Membraneus, foliorum 160 (0m,20 × 0,14), lineis plenis unaque manu exaratus saec. XV, praeter ultimum documentum, quod alia manu eiusdem saeculi descriptum est (fol. 153-60).

1° Vita ancillae Christi Idae de Nivella, monialis in Rameia (fol. 1-38v).

Ed. apud CHRYSOST. HENRIQUEZ, *Quinque prudentes virgines* (1630), p. 199-292; sed adsunt in cod. ea quae edidimus in nostro *Catal. Brux.*, t. II, p. 222-6.

2° Versus de eadem compositi (fol. 38v-9).

Ed. apud HENRIQUEZ, l. c., p. 292-3.

3° Miracula eius patrata postmodum (fol. 39-41v).

Ibid., p. 293-7.

4° Vita Idae de Lewis (fol. 43-67).

Act. SS., Oct. t. XIII, p. 107-24.

5° Passio S. Dympnae virginis et martyris Christi (fol. 69-82).

Ibid., Mai t. III, p. 479-86.

6° Miracula S. Dympnae virginis et martyris (fol. 82-6v).

Ibid., 486-8, num. 1-7; om. ultima sententia num. 7.

7° Passio quattuor fratrum minorum (fol. 153-60).

Versio latina narrationis, quae pars est Peregrinationis B. Odorici de Pordenone, et cuius versiones aliae, stilo diversae, editae sunt in *Act. SS.*, Aprilis t. I, p. 52-55, et apud M. DA CIVEZZA, *Storia univ. delle Missioni Francescane*, t. III, p. 745-753. Cfr. H. CORDIER, *Les Voyages en Asie au XIVe siècle du bienheureux frère Odoric de Pordenone*, Paris, 1891, p. 72-85.

Inc. *Pro fide Christi quattuor in Kana regione minores fratres nostri martyrio coronari meruerunt, quorum in laudem Dei gloriosa certamina nunc subsequenter compendiose referenda sunt.*

XII. Codex signatus 7928.

Chartaceus, intermistis aliquot foliis membraneis, foliorum 294 (0m,203 × 0,134), plenis lineis et diversis manibus exaratus saec. XV; nonnulla passim folia scriptura vacant. Fol. 164 prodit codicis antiquum domicilium: *Pertinet in Rubea Valle. Dirigatur illuc*; atque in catalogo bibliothecae illius monasterii, iam saepe citato, ita designatus est codex: *Vita sancti Autberti episcopi cum diversorum Vitis*, locusque ei assignatus est *l. 13, V.*

Partem libri implent tractatus *de laude vitae heremiticae* (fol. 114-20), *modus procedendi in sermones de sacramento venerabilis Eucharistiae, quos composuit S. Thomas de Aquino praedicator*, sermonesque eiusdem de Venerabili (fol. 189-270v), et explanatio orationis dominicae (fol. 273-94v); fol. 165v recensita sunt plurima domicilia canonicorum regularium. Reliqua sunt hagiographica.

1° Vita S. Autberti Cameracensis episcopi (fol. 1-15).

Act. SS. Belgii, t. III, p. 539-64.

2° Miracula S. Autberti (1) (fol. 15-20).

Ex quibus pauca quaedam edita sunt in nostro *Catal. Brux.*, t. I, p. 230-2; totum libellum ex multo antiquioribus codicibus in *Analectis* aliquando edemus.

3° Compendiosa Vita S. Autberti confessoris (fol. 20ʳ-21ʳ).

Viginti sex strophae, quarum singulae sex versiculis constant. Primam et ultimam rettulisse satis superque erit.

Inc. *Autberti virtus inclita*
Fulgens in caelum superum
Patet signis exhibita,
Quia suorum operum
Clara fecisti merita,
Conditor alme siderum.

Des. *Christe, gratanter audias*
Recitantes miracula
Patris huius, et facias
Ita sub eius regula
Gratos, quod eos ambias
In sempiterna saecula. Amen.

4° Vita S. Iohannis Crisostomi (fol. 23-44ᵛ).

Ed. in nostro *Catal. Paris.*, t. III, p. 17-45.

5° Prologus fratris Thomae ad sororem suam Aleidem, in Parcho Dominarum sanctimonialem, in Vita servi Dei fratris Godefridi cognomento Pachomii, germani sui carissimi (fol. 45-5ᵛ).

Vid. appendicem, infra p. 263 sqq.

6° Epistula ad eandem (fol. 45ᵛ-7).

Vid. ibid.

7° Vita bonae memoriae fratris Godefridi monachi de Villari; quae viva voce legatur ad audiendum aperte et distincte, tacentibus omnibus ad intellegendum (fol. 47-64).

Vid. ibid.

8° [Vita viri Dei Abundii, monachi Villariensis] (fol. 64ᵛ-86ᵛ).

De qua in nostro *Catal. Brux.*, t. II, p. 427.

9° Vita fratris Petri conversi Villariensis cum epistula praevia (fol. 93-113ᵛ).

Inc. epist. : *Amantissimo suo in Christo semper venerabili socio et amico nonno Iohanni, suppriori Villariensi, suus frater Henricus, monachus de Loco Sancti Bernardi et magister conversorum ibidem, verae beatitudinis arcem congruentibus semper mediis intendere intima cum salute. Super promisso hactenus vobis adstrictus...*

Inc. Vita : *Quoniam secundum B. Augustinum in libro LXXXIII quaestionum, quaest. LXXXI, omnis sapientiae disciplina...*

(1) Quoniam ordo miraculorum in transcribendo mutatus erat, pergit ita rubricator : *et ante omnia legendum est illud quod habetur in fine omnium et sic incipit " Anno " etc.*

Ipsa Vita nihil prorsus praebet notatu dignum ; ita siquidem in virtutibus Petri extollendis versatur auctor, ut in rebus narrandis non plura tradat quam quae leguntur *Mon. Germ.*, Scr. t. XXV, p. 234, lin. 35-40, nullam temporis notam exhibeat, quin nulla personarum locorumve nomina pronuntiet, praeter haec tria : " Petrus, Villariense coenobium, ordo Cisterciensis ".

11° Vita S. Adiliae virginis, quae quiescit in villa Orpe iuxta Geldoniam (fol. 120^v-9).

Ipsa Vita S. Ottiliae Alsaticae ed. *Anal. Boll.*, t. XIII, p. 9-32.

11° Compendiosa Vita sacratae virginis venerabilis Beatricis, civis Thenensis, quondam priorissae in Nazareth iuxta Liram ordinis Cisterciensis (fol. 129-30).

Compendium brevissimum Vitae de qua in *Anal. Boll.*, t. III, p. 168.

12° Vita pii Goberti, primo domini Aspersi *(sic)* Montis, postea humilis monachi Villariae (fol. 130^v-61^v).

Act. SS., Aug. t. IV, p. 377-94 ; om. prologus primus, qui inc. : *Si propheta.*

13° Epitaphium pii Goberti Villariensis monachi (fol. 161^v-2^v).

Martene et Durand, *Thes. nov. anecd.*, t. III, col. 1332-3.

14° Vita S. Severini Agrippinae civitatis archiepiscopi (fol. 167-8^v).

Compendium Vitae ed. *Act. SS.*, Oct. t. X, p. 56-63.

15° Vita S. Lebuini presbyteri et confessoris (fol. 169-71^v).

Compendium Vitae auctore Hucbaldo ed. apud Surium, t. XI (1618), p. 277 sqq.

16° Vita S. Meinulphi confessoris, archidiaconi ecclesiae Padebornensis, cuius corpus requiescit in Bodeke, monasterio ordinis nostri (fol. 172-88).

Vita auctore Gobelino Persona ed. *Act. SS.*, Oct. t. III, p. 216-24 ; subiunctum est opusculum *de translatione et reformatione monasterii Bodecensis*, de quo ibid., p. 176, num. 20.

XIII. Codex signatus 7929.

Chartaceus foliorum 111 (0^m,194 × 0,134) exaratus saec. XV ; constat reapse duobus codicillis, quorum utriusque folia singillatim serie numerorum distincta sunt. Abrasa est schedula, interiori tegumini agglutinata, unde resciri poterat cuiusnam olim codex fuisset; sane ex ipsis opusculis, quae in eo continentur, manifestum est illum cuiusdam monasterii canonicorum regularium aliquando fuisse.

1° Venatorium *(corr.* Investigatorium) sanctorum ordinis canonicorum regularium (fol. 1-95).

Opusculum Iohannis Malburni, de quo Acquoy, *Het klooster te Windesheim en zijn invloed*, t. III, p. 354 ; alia eiusdem exemplaria reperire est in codicibus Parisinis Bibl. Nat. lat. 14662, 15044 et Bruxellensibus Bibl. Reg. 7914, 11815, 11973.

In cod. Vindobonensi, foliis deficientibus, libellus in fine mutilus est. Sanctos ordinis canonici ita diligenter venatus est Iohannes, ut quotquot libuit vel invitos ordini S. Augustini vindicaverit, v. g. Perpetuam et Felicitatem martyres africanas !

[2° Kalendarium sanctorum ordinis canonicorum regularium] (fol. I-XVI^v).

Auctore eodem Malburno, ut videre est apud M. Mastelinum, *Necrologium monasterii Viridis Vallis*, p. 121; et reapse in kalendario ad d. 28 decembris adnotavit librarius : *Iohannis venerabilis abbatis Livriacensis, qui hoc opus compilavit, sed morte praeventus non edidit, viri religiosi.* Atqui Malburnus abbas fuit Livriacensis (cfr. *Gall. christ.*, t. VII, col. 836-7). In kalendario sancti in tres quasi columnas distributi sunt, in quarum priore recensentur sancti *antecedentes Augustinum*, in altera *subsequentes*, in tertia *dubii*.

XIV. Codex signatus 7932.

Membraneus, foliorum 202 (0^m,173 × 0,13) diversis manibus et modo lineis plenis, modo binis columnis exaratus maximam partem saec. XV. Ad calcem nomen priorum possessorum sedulo erasum est, ita tamen ut legi etiamnum possit *xellam*, h. e., ut videtur, *Monasterii Rubeevallis prope Bruxellam* ; is enim videtur esse codex, qui in catalogo bibliothecae Rubeae Vallis (cod. 1373) sub signo *I. 15. V* recensetur tamquam *Vita S. Bernardi et aliorum cum aliis.*

1° [Vita S. Bernardi Claraevallensis abbatis] (fol. 1-86).

Libri quinque ed. *Act. SS.*, Aug. t. IV, p. 256-326; om. praefatio libri III et in libro V num. 267-8, inde ab *Frater Guillelmus de Monte Pessulano* ; desinit autem cod. cum num. 270 (p. 326), et subiectae sunt epistulae tres Alexandri III de canonizatione S. Bernardi (Jaffé-Lœwenfeld, num. 12328, 12330, 12329).

[2° Ex legenda aurea] (fol. 86^v-118^v).

Vita seu Passio SS. Theodorae, Alexii, Praxedis, Apollinaris, Christianae, Christophori, Septem Dormientium, Nazarii et Celsi, Margaretae, Mariae Magdalenae, Iacobi Minoris et Marthae.

Alia non pauca continet codex, v. g. opusculum S. Bernardi *de ordine Vitae*, fol. 126-43^v ; Haytoni liber qui intitulatur *Flos historiarum terrae Orientis*, a Nicolao Falconi latine versus, fol. 144-96 (cfr. Röhricht, *Bibl. geogr. Palaest.* num. 178), etc.

XV. Codex signatus 7946.

Membraneus, foliorum 190 (0^m,151 × 0,102) ; constat ex variis laciniis, iam olim collectis et adunatis, ut series numerorum foliis appositorum testantur. Multa ascetica, quae occurrunt, exarata sunt a fratre Christiano de Traiecto Superiore annis 1431-1432. Ultimo documento, quod hagiographicum est et exaratum est

saec. XV, subscriptum legitur: *Qui me scribebat, Philippus nomen habebat;* et ibidem: *Liber monasterii Rubeae Vallis.* Reapse in catalogo ms. bibliothecae huius monasterii (cod. 9373) repperimus sub signo *K. 18. M.*, volumen commemoratum: *Meditationes B. Augustini episcopi cum aliis;* quod in nostrum codicem convenit.

[Vita S. Mechtildis virginis] (fol. 165-90ᵛ).

Vita prolixa satis, quae vix non unice in narrandis revelationibus, visionibus aliisve huiusmodi versatur. Inter quae nonnulla, licet ad aedificationem legentium dicta, potius impia iudicanda sunt.

Ex hoc opusculo quaecumque ad historiam Mechtildis vel etiam quaecumque ad historiam generatim pertinent, excerpsimus; en iam ista, pauca numero, momento etiam exigua.

Inc. Vita: *Quaedam puella nomine Mechtildis cum adhuc iuvenis esset, in tantum Domino complacuit, quod sibi B. Virginem ad magistram dedit...*

Fol. 165ᵛ: *Et ipsa nunc se transtulit ad beghinas et se, quanto plus potuit, in* (fol. 166ʳ) *bonis actibus exercitavit.*

Fol. 169ᵛ: *Ista puella fuit parvae nationis et ibat ad campos spicas colligere.*

Fol. 182ᵛ, narratis quibusdam visionibus: *Istud dictavit puella nomine Mechtildis, quae totam vitam suam fundaverat in passione Domini...*

Fol. 183: *Alio quodam tempore ipsa fuit ad quoddam album claustrum monialium, ubi habuit quandam amicam nomine Lutgardim, et ipsa puella volebat ludere cum ipsa, ubi sciebat esse sanctos homines...*

Fol. 183ᵛ: *Alio tempore ipsae* (Mechtildis nempe et Lutgardis) *exierunt lusum, cum valde pluviosa aura fuit, ad visitandum limina B. Ermelindis; et cum ibi venisset, venit B. Ermelindis et locuta fuit ad eas usque ad horam nonam, et dixit eis totam vitam earum; et iussit* (fol. 184) *eas ire comestum, et ipsa reversa est ad caelos.*

Des. Vita: *...ut nos educeret de exsilio huius mundi in perpetuam laetitiam.*

XVI. Codex signatus 7953.

Partim membraneus, partim chartaceus, foliorum 181 (0ᵐ,141 × 0,10): constat variis laciniis, quae diversis manibus exaratae sunt saec. XV. Unum exhibet documentum hagiographicum, nempe

Passio B. Crisanti martyris et Dariae virginis.

Act. SS., Oct. t. XI, p. 469-84. Om. prol.

XVII. Codex signatus 7365.

Membraneus, foliorum 115 (0ᵐ,174 × 0,115), praeter duo insiticia, lineis plenis nitide exaratus extr. saec. XV vel in. saec. XVI.

1° Vita Sanctissimae Annae matris gloriosissimae Mariae, D. N. I. C. castissimae ac benedictissimae virginis matris (fol. 1-53v).

Inc. prol.: *De paupertate mea, te pulsante, te inquietante, mi pater Dominice... de cubili surrexi et praestiti utcumque quod ipse petisti.*

Inc. Vita: *Conscriptum repperi in annalibus veterum quod anno 428, dum Nestorius haeresiarcha...*

Des.: *...numquam nobis deerunt pia suffragia, si cernua precamina non defuerint.*

Constat opusculum illud libris duobus; liber I in capitula 18, liber II in 30 divisus est. *Hic secundus liber*, ita auctor, *agit de secundis et tertiis S. Annae nuptiis...*

2° Miracula et prodigia Annae matris... (fol. 53v-96).

Auctore Petro Dorlando, ed. *Act. SS.*, Iul. t. VI, p. 261 sqq., num. 1-46, 72, 75.

3° Vita S. Severini Coloniensis episcopi (fol. 99v-115).

Ed. in nostro *Catal. Brux.*, t. I, p. 246-9; cfr. ibid., p. 242, 25°.

XVIII. Codex signatus 7993.

Chartaceus, foliorum 214 (0m,29 × 0,223) binis columnis unaque manu exaratus saec. XV. Quo etiam tempore in folio insiticio tradita sunt et codicis antiquum domicilium: *Iste liber pertinet fratribus Sanctae Crucis in Ruremunda*, et index contentorum. Insignia quaedam in papyro delineata et interiori codicis tegumento agglutinata iam abrasa sunt.

Magnam codicis partem implent S. Petri Damiani epistulae et opuscula, tum Bartholomaei prioris Carthusiensium in Ruremunda *Collationes ad omne genus humanum*, etc., et praeterea

Iohannis diaconi libri de vita et gestis beatissimi papae Gregorii (fol. 1-38).

Act. SS., Mart. t. II, p. 137-210.

XIX. Codex signatus 9363.

Hagiologium Brabantinorum Iohannis Gielemans.

De eo vid. *Anal. Boll.*, t. XIV, pp. 11-12, 42-61.

XX. Codex signatus 9364.

Novale Sanctorum Iohannis Gielemans.

Vid. ibid., pp. 12-13, 61-80.

XXI. Codex signatus 9365.

Historiologium Brabantinorum Iohannis Gielemans.

Vid. ibid., pp. 13-14, 80-88.

XXII. Codex signatus 9366 a.

Pergamenus, foliorum 192, saec. XV exeunte exaratus.

Continet legendam auream, eamque non integram.

XXIII. Codex signatus 9366 b.

Membraneus, foliorum 16 ($0^m,357 \times 0,25$) praeter unum insiticium, binis columnis una manu exaratus saec. XVI, nuncque cum codice 9366a compactus. Fol. 1r intra duas litteras capitales depicti sunt monachi Carthusienses. Totum codicillum implet

[Opusculum Mauritii Chauncy de beatis martyribus Cartusiensibus sub Henrico VIII, rege Angliae, supplicio affectis].

Manus posterior fol. 1r in margine scripsit : *Historiae istius auctor est D. Mauritius Chauncey, quondam prior Cartusianorum Anglorum.*

Quae historia primum Moguntiae anno 1550 edita est atque postea non semel, nec tamen semper sibi similis. Nos quoque aliquam olim eiusdem opusculi recensionem ex codice Hagensi vulgavimus (1); quam parvi fecerunt novissimi huius lucubrationis editores, rati nempe nobis praesto dumtaxat fuisse quoddam compendium (2). Neque nos ab ea sententia abhorrebamus; verum hodie, diligenter inspecto codice isto Vindobonensi, comperimus textum codicis Hagensis, in *Analectis* editum, esse fragmentum solummodo integrae narrationis Vindobonensis.

Iamvero de hac recensione et de altera, editionis nempe principis, ancipites haeremus, utra scilicet primigenium textum referat. Saepe quidem inter se stilo conveniunt; sed copia verborum fucatisque ornamentis et adhortationibus paraeneticis abundat editio Moguntina, dum codex Vindobonensis res simplicius proferre solet. Praeterea in eodem codice narrata leguntur tenuia quaedam facta, nomina propria et alia id genus, quae frustra in editione altera quaesiveris, et vicissim. Tandem uterque scriptor sive librarius pluribus indiciis se tamquam libelli auctorem exhibet; ut cum narrationem suam ita concludit auctor recensionis Vindobonensis : *Haec sunt, patres venerabiles, quae ipse in provincia Anglicana acta vidi et audivi, et verissima esse cognovi, quia pro maiore parte omnibus interfui. Quae etiam citius, si licuisset, evulgassem; sed principum terror me hactenus a proposito*

(1) *Anal. Boll.*, t. VI, p. 36-51. — (2) *Historia aliquot martyrum Anglorum maxime octodecim Cartusianorum...* (Monstrolii, 1888), p. XXX.

refrenavit (1). Quae in textu Moguntino non leguntur, ita tamen ut in istius longa praefatione eadem uberius asseverentur.

Haec omnia si aequo animo perspexerimus, tandem videbitur neutrum esse genuinum textum, sed utrobique exstare retractationem quandam, a diversis viris diverso modo factam ipsius opusculi, quod Chauncius conscripserat. Boni igitur consuluimus complementa inedita textus, quem in *Analectis* edidimus, proferre, additis lectionibus variantibus, quibus partes communes codicum Hagensis et Vindobonensis inter se discrepant. Videat igitur lector appendicem, p. 268 sqq.

XXIV. Codex signatus 9370.

Membraneus, foliorum 170 (0^m,301 × 0,213), binis columnis et duabus manibus exaratus saec. XV. Ad calcem notatum est saec. XVI vel XVII : *Iste liber pertinet in Korssendonck.* Totum codicem implet

Vita sanctorum Patrum eremitarum, coenobitarum et anachoritarum.

XXV. Codex signatus 9375 a.

Membraneus, foliorum 294 (0^m,37 × 0,28), primitus numeris distinctorum, ex quibus excisa sunt folia 75-80. Codex duabus manibus binisque columnis belle exaratus est saec. XV. Folio primo verso, cuius pars recta tegumini adhaeret, inscripta sunt nomina sanctorum de quibus in hoc volumine agitur, atque etiam nomen illud, licet valde obliteratum : *Korssendonck;* atqui fol. 81, in quo incipit " Vita PATRIS NOSTRI Augustini ", eximie decoratum est, et fol. 253, in lemmate Vitae praefixo, vocatur S. Waldedrudis " patrona Herentallensium "; quod utrumque bene in Corsendoncam convenit. In dorso signatus est codex : *W. I. 54. Vitae Sanctorum.*

1° Vita S. Rumoldi episcopi et martyris (fol. 1-6).

De qua *Anal. Boll.*, t. III, p. 193, 2°.

2° Passio et miracula eiusdem facta post mortem (fol. 6-9).

Vitae auctore Theoderico num. 9-20, ed. *Act. SS.*, Iul. t. I, p. 242-7.

3° Vita S. Lamberti episcopi et martyris (fol. 9-25).

Vita quarta auctore Nicolao, ed. ibid., Sept. t. V, p. 602-17.

4° Passio S. Mauritii martyris et sociorum eius martyrum (fol. 25-7).

Passio interpolata, qualis legitur in MOMBRITIO, t. II, fol. 153v-5.

(1) Prodit auctor recensionis Vindobonensis se in Flandria conscripsisse, ubi dicit : *pisces " pladys " in nostra lingua flandrica vocatos* (num. 17); quod ceteroqui ex ipso prologo patebat (cfr. *Anal. Boll.*, l. c., p. 36). Idem quoque auctor errores nonnullos vitavit, qui editionem Moguntinam deturpant.

5° Passio SS. Cosmae et Damiani martyrum Christi (fol. 27v-30).

Act. SS., Sept. t. VII, p. 474-8.

6° Vita S. Dionysii episcopi et martyris (fol. 30-9).

SURIUS, t. X (1618), p. 121-30, omissis scilicet epistulis.

7° Revelatio quae ostensa est sancto papae Stephano, et memoria de consecratione altaris sanctorum Petri et Pauli, quod est situm ante sepulcrum S. Dionysii sociorumque eius. Quae revelatio et consecratio acta est quinto kalendas augusti (fol. 39-40).

Mon. Germ., Scr. t. XV, p. 2-3.

8° Passio SS. martyrum Gereonis, Victoris et aliorum (fol. 40-42).

Act. SS., Oct. t. V, p. 36-40. Desinit in medio num. 20 : *et pulchritudine fulciretur.*

9° Vita et Passio S. Leodegarii episcopi et martyris (fol. 42-7v).

Auctore Ursino. Ibid., Oct. t. I, p. 484-90. In ultima parte multa omissa sunt vel contracta.

10° Vita et Passio S. Frederici episcopi Traiectensis Inferioris (fol. 47v-9).

Textus Odberti (*Act. SS.*, Iul. t. IV, p. 460-70; *Mon. Germ.*, Scr. t. XV, p. 344-56) contractus, retractatus et ex recentioribus fontibus auctus, ut docent ultima verba: *Explicit passio S. Fr. ep. cum quibusdam excerptis ex cronicis Hollandiae.*

11° Vita et Passio S. Theodardi episcopi Traiectensis Superioris (fol. 49-53).

Act. SS., Sept. t. III, p. 593-9.

12° Vita et Passio S. Magni episcopi et martyris (fol. 53-5v).

Ibid., Aug. t. III, p. 713-6.

13° Vita et Passio S. Privati episcopi et martyris (fol. 55v-7).

Ibid., Aug. t. IV, p. 439-40.

14° Vita et Passio S. Adriani martyris (fol. 57-63).

MOMBRITIUS, t. I, fol. 7v-12.

15° Vita S. Piatonis (fol. 63-5).

Acta interpolata de quibus *Act. SS.*, Oct. t. I, p. 11, num. 20, non tamen integra; incipiunt enim : *Illis igitur diebus cum Iulianus impiissimus caesar decreta principum accepisset...* (cfr. ibid., p. 25, col. 1, lin. 5); in sequentibus etiam multa omissa sunt.

16° Passio S. Eupli martyris (fol. 65-5v).

RUINART, *Acta mart. sinc.* (Amstelod., 1713), p. 408-9.

17° Passio SS. martyrum Nichasii, Quirini ac aliorum martyrum (fol. 65v-8v).

Anal. Boll., t. I, p. 628-32; praemissus est prologus ed. ibid., t. V, p. 335, 5°.

18° [Translatio S. Quirini martyris] (fol. 68ᵛ-70).

Act. SS., Oct. t. V, p. 550-2, num. 1-12; om. ultima sententia num. 12.

19° Passio S. Quintini martyris (fol. 70-3).

Ibid., Oct. t. XIII, p. 794-9, num. 2-18.

20° Prima inventio S. Quintini ab Eusebia matrona romana (fol. 73-4).

Ibid., p. 785-6, num. 14-19.

21° Secunda inventio S. Quintini martyris ab Eligio episcopo Noviomensi (fol. 74-4ᵛ).

Locus ex Vita S. Eligii editus ibid., Ian. t. I, p. 154-5, num. 4-10. Desinit mutilus: *Ipse demum* (num. 10 extr.).

22° Vita et gesta glorisissimi doctoris et patris nostri S. Augustini Ypponensis episcopi (fol. 81-96).

Inc. prol.: *Almi patris ac doctoris eximii Augustini Ypponensis episcopi ortum procursumque ac finem vitae... fideliter descripturus, nihil huic operi inserendum censui, quod non ipsius propriis dictis aut aliorum scriptis authenticis confirmetur, secutus praecipue vestigium illius venerandi viri S. Possidonii Calamensis episcopi, eiusdem sancti patris discipuli et in suo monasterio olim canonici...*

Inc.: *Augustinus doctor egregius ex provincia Africana, municipio Tagastensi...*

Des.: *Quod quidem festum reconditionis eiusdem sacratissimi corporis ibidem tam a canonicis regularibus quam a fratribus eremitarum ordinis in eadem basilica Sancti Petri in Caelo Aureo Deo et eidem beatissimo doctori et ductori ac institutori utriusque ordinis pariter famulantibus honorificentia condigna peragitur et usque in hodiernum diem annis singulis sollemniter celebratur, regnante...*

23° Vita S. Bavonis confessoris (fol. 96-102ᵛ).

Act. SS., Oct. t. I, p. 243-52. Om. prol.

24° Vita B. Domiciani episcopi Traiectensis Superioris (fol. 102ᵛ-3ᵛ).

Ibid., Mai t. II, p. 146-7.

25° Vita S. Servacii episcopi Tungrensis (fol. 103ᵛ-9).

Inc.: *Almus Christi sacerdos et pontifex Servatius, evangelici sermonis observator praecipuus...*

Des.: *Inter quos tamen praecipuus aetate et moribus beatus effulsit Servatius, qui nos suis precibus et meritis ab omni malo praeservare ac in omni bono conservare dignetur, praestante...*

26° Vita S. Odulphi confessoris, canonici regularis (fol. 109-114).

Retractatio amplior Vitae ed. *Act. SS.*, Iun. t. II, p. 592-5. In cod. pater Odulfi nominatur *Bodegisus*; cfr. *Mon. Germ.*, Scr. t. XV, p. 356.

27° Vita S. Norberti archiepiscopi et confessoris (fol. 114-5).

Ex Vincentii Bellovacensis *Spec. hist.*, lib. 27, cap. 23, 43.

28° De conversione S. Iohannis episcopi ecclesiae Valentinae (fol. 115-5^{v}).

Ex eodem libro, cap. 42.

29° Vita S. Monulphi episcopi Traiectensis Superioris (fol. 115^{v}-6^{v}).

Ex Aegidio Aureaevallensi, lib. I, cap. 33. (*Mon. Germ.*, Scr. t. XXV, p. 27-8).

30° Vita S. Gundulphi episcopi Traiectensis Superioris (fol. 116^{v}-7).

Ex eodem, lib. I, cap. 34 (ibid., p. 28).

31° Vita S. Arnulphi episcopi Metensis (fol. 117-21).

Act. SS., Iul. t. IV, p. 435-40; *Mon. Germ.*, Scr. rer. merov., t. II, p. 432-46.

32° Vita S. Wandregisili abbatis (fol. 121-4).

Act. SS., Iul. t. V, p. 272 sqq. Om. prol. et non pauca passim sunt contracta.

33° Vita S. Dominici confessoris, ordinis Praedicatorum primi institutoris (fol. 124-7^{v}).

Inc.: *Dominicus dictus quasi Domini consecratus, de Hispania oriundus, patrem habuit nomine Felicem...*

Des.: *Sepultus est autem Bononiae in ecclesia Sancti Nicolai Fratrum Praedicatorum, quorum ordinis ipse primus exstitit institutor.*

34° Vita S. Gaugerici episcopi Cameracensis et confessoris (fol. 227^{v}-30^{v}).

Partim similis Vitae ed. *Act. SS.*, Aug. t. II, p. 672-5, partim Vitae ed. *Anal. Boll.*, t. VII, p. 388-98.

35° Vita B. Ethbini confessoris (fol. 130^{v}-1^{v}).

Act. SS., Oct. t. VIII, p. 487-8.

36° Vita S. Severini archiepiscopi Coloniensis (fol. 131^{v}-4^{v}).

Ibid., Oct. t. X, p. 56-9. Subiecta est narratiuncula, cuius altera recensio paulo brevior legitur in Legendae Aureae ed. Coloniensi an. 1483, fol. cccLvi^{b}, § *Legitur quod...*; ubi nempe refertur S. Evergislo apparuisse S. Severinum, in purgatorii igne constitutum propter neglegentiam in recitandis horis canonicis admissam.

37° Translatio corporis S. Severini archiepiscopi ad Coloniam (fol. 134^{v}-6).

Act. SS., l. c., p. 61-3.

38° Vita S. Theodrici abbatis et confessoris (fol. 136).

Brevissimum compendium Vitae ed. *Act. SS.*, Aug. t. IV, p. 848-64; *Mon. Germ.*, Scr. t. XI, p. 37-57.

39° Exemplum horribile in regione Saxonum factum (fol. 136-6^{v}).

Ed. in nostro *Catal. Brux.*, t. II, p. 382-3.

40° Vita S. Amoris confessoris (fol. 136^{v}-9^{v}).

Act. SS., Oct. t. IV, p. 343-7.

41° Vita SS. confessorum Eucharii, Valerii et Materni (fol. 139^{v}-43^{v}).

Ibid., Ian. t. II, p. 918-22.

42° De S. Materno episcopo sub compendio (fol. 143v-4v).

Inc. : *Eo tempore, quo princeps apostolorum Petrus...*

Des. : *Et post septingentos annos IV kal. apr. reliquiae corporis eiusdem Leodium sunt translatae.*

43° Vita sanctissimi Leonis papae et confessoris (fol. 144v).

Ex *Libro Pontificali* in Vita Leonis II, usque ad verba : *in latinum transtulit.*

44° Vita S. Huberti, episcopi Leodiensis primi, qui corpus S. Lamberti ad Leodium transtulit (fol. 144v-51v).

Act. SS., Nov. t. I, p. 808-16, nempe sola Vita, omissis epistula, praefatione et translatione.

45° Vita S. Leonardi confessoris (fol. 151v-4v).

Arbellot, *Vie de S. Léonard* (1863), p. 277-89.

46° Miracula [eiusdem] (fol. 154v-7).

Ed. apud Surium, t. XI (1618), p. 167-8, cap. viii-xv (stilo mutato), et partim apud Arbellot, l. c., p. 289-94.

47° Vita S. Willibrordi episcopi Traiectensis Inferioris (fol. 157-9v).

Excerpta ex libello Alcuini (Mabillon, *Acta*, saec. III, 1, p. 603-16; Jaffé, *Bibl. rer. germ.*, t. VI, p. 39-61).

48° Ex cronicis Hollandiae de eodem S. Willibrordo episcopo (fol. 159v60v).

Desumptum maxime ex chronico Iohannis de Beka.

49° Severi Sulpitii Vita S. Martini archiepiscopi et confessoris (fol. 161-70v).

Om. epistula ad Desiderium, quae inc. : *Ego quidem frater unanimis;* at legitur infra fol. 173. Vitae subiectae sunt epistulae ad Eusebium, ad Aurelianum et initium epistulae ad Bassulam.

50° Tractatus Severi de transitu S. Martini episcopi (fol. 170v-1v).

Reliqua pars epistulae ad Bassulam.

51° Narratio Gregorii Turonensis episcopi de obitu sanctissimi patris Martini episcopi et confessoris (fol. 171v-2).

Hist. Franc., lib. I, cap. 48.

52° Visio S. Severini episcopi Coloniensis de obitu S. Martini episcopi (fol. 172).

Gregorii Turon., *De virt. S. Mart.*, lib. I, cap. 4.

53° Visio B. Ambrosii episcopi de transitu S. Martini episcopi et confessoris (fol. 172-2v).

Ibid., cap. 5.

54° Quando corpus S. Martini episcopi translatum sit (fol. 172v-3).

Ioh. a Bosco, *Floriacensis vetus bibl.*, II, p. 252-3.

55° Libellus B. Martini de Sanctissima Trinitate (fol. 173).

Migne, *P. L.*, t. XVIII, col. 11-12.

56° Epistula Severi ad Eusebium de Vita S. Martini episcopi a se conscripta (fol. 173-3v).

Epist. ad Desiderium, de qua supra, 49°.

57° Dialogi Severi in Vitam S. Martini episcopi et confessoris (fol. 173v-94v).

58° Textus miraculorum post relationem B. Martini ad sepulcrum eius ostensorum (fol. 194v-9).

Auctore Pseudo-Herberno. BALUZE, *Miscell.*, ed. Mansi, t. II, p. 301-5, cap. I-XLVI.

59° Vita S. Lebuini confessoris (fol. 199-200v).

Compendium Vitae auctore Hucbaldo ed. apud SURIUM, t. XI (1618), p. 277 sqq.

60° Vita S. Cuniberti archiepiscopi Coloniensis (fol. 200v-1v).

Ed. in nostro *Catal. Brux.*, t. I, p. 244-5. Incipit in cod. sicut annotatum est *Anal Boll.*, t. V, p. 338, 38°.

61° Vita S. Brictii episcopi Turonensis (fol. 201v-2).

Gregorii Turon. *Hist. Franc.*, lib. II, cap. 1.

62° De S. Gregorio episcopo Turonensi (fol. 202-2v).

Excerpta ex Vita ed. apud MIGNE, *P. L.*, t. LXXI, col. 115-28.

63° Vita S. Trudonis presbyteri et confessoris (fol. 202v-10v).

MABILLON, *Acta*, saec. II, p. 1071-86.

64° Vita B. Maximi episcopi et confessoris (fol. 210v-4v).

Ed., stilo mutato, apud SURIUM, t. XI (1618), p. 611-3.

65° Vita S. Eligii episcopi Noviomensis (fol. 214v-6).

Compendium Vitae ed. MIGNE, *P. L.*, t. LXXXVII, col. 481, et alibi.

66° Vita S. Basilii episcopi Caesariensis et confessoris (fol. 216-7).

Compendium qualequale Vitae auctore Amphilochio.

67° Vita S. Fulgentii episcopi et confessoris (fol. 217-9).

Compendium Vitae ed. *Act. SS.*, Ian. t. I, p. 32-45.

68° Vita S. Amandi episcopi et confessoris (fol. 219-23).

Auctore Baudemundo. Ibid., Febr. t. I, p. 48-54. Om. prol.

69° Passio S. Dympnae virginis et martyris Christi (fol. 225-31v).

Ibid., Mai t. III, p. 479-86.

70° Miracula S. Dympnae virginis et martyris (fol. 231v-5).

Ibid., p. 486-9.

71° Passio B. Margaretae virginis et martyris (fol. 235v-9v).

MOMBRITIUS, t. II, fol. 103-7.

72° Vita S. Clarae virginis (fol. 239v-42v).

Ibid., t. I, fol. 165-8.

73° Passio S. Benedictae virginis et martyris (fol. 242v-5v).

Act. SS., Oct. t. IV, p. 219-22. Desunt in cod. num. 1 et 2.

74° Passio sanctarum undecim milium virginum, scilicet S. Ursulae et sodalium eius (fol. 245^{v}-9^{v}).

Ibid., Oct. t. IX, p. 157-63.

75° Ex quibusdam revelationibus de eisdem virginibus (fol. 249^{v}-53).

Desumptum maxime ex Caesario Heisterbacensi, lib. VIII, cap. 85-89.

76° Vita S. Waldetrudis electae matronae, patronae Herentallensium (fol. 253-60^{v}).

Retractatio Vitae ed. *Act. SS.*, Apr. t. I. p. 837-41.

77° Vita et passio sanctorum martyrum Eustacii et sociorum eius (fol. 361-5).

Ibid., Sept. t. VI, p. 123-35.

78° Conversio S. Katherinae virginis (fol. 265-5^{v}).

Compendium textus ed. *Catal. Brux.*, t. II, p. 164, num. 4, et t. I, p. 106 (num. 2) — 108.

79° Vita gloriosae virginis Katherinae (fol. 265^{v}-76).

Acta SS. Hiberniae (1887), col. 681-734.

80° Miraculum pulchrum de B. Katherina (fol. 276-6^{v}).

Legenda aurea (ed. Th. Graesse, Dresdae, 1846), p. 914-5.

81° Historia beatissimae Barbarae virginis et martyris Christi, et primo de vita eius et passione (fol. 277-87^{v}).

De qua *Catal. Brux.*, t. I, p. 382, 2°.

82° Translatio Barbarae (fol. 287^{v}-9).

Scilicet translatio prima de qua ibid., et translatio secunda ed. ibid., p. 392-3.

83° Sequuntur ex innumerabilibus quaedam miracula de beatissima virgine et martyre [Barbara] (fol. 289-94^{v}).

De quibus ibid., p. 382.

XXVI. Codex signatus 9375 b.

Chartaceus, foliorum 198, saec. XV exaratus.

Continet legendam auream, eamque non integram.

XXVII. Codex signatus 9385.

Membraneus, foliorum 205 (0^{m},25 × 0,181), praeter duo folia insiticia, binis columnis una manu exaratus saec. XV; ultima tamen folia ab alio amanuensi scripta sunt.

1° Dialogus miraculorum, quem composuit nonnus Caesarius monachus cum Appollonio novicio (fol. 1-200).

Ed. I. Strange, *Caesarii Heisterbacensis dialogus miraculorum*, Coloniae, 1850-51.

2° Quoddam miraculum (fol. 201-3v).

Narratio de Udone, de qua *Act. SS.*, Sept. t. VI, p. 403, num. 260 et in nostro *Catal. Paris.*, t. II, p. 527.

3° Miraculum de S. Thoma (fol. 204).

Compendium narrationis ed. in nostro *Catal. Brux.*, t. I, p. 132-4.

4° Aliud miraculum (fol. 204-5).

Inc. *Quodam enim tempore fuit miles quidam multum dives,...* et in margine notatum est : *Require melius supra* (nempe in Caesario), *VIII° distinctione, cap. LIX°, fol. 140, littera o.*

XXVIII. Codex signatus 9389.

Partim membraneus, partim chartaceus, foliorum 222 (0m,291 × 0,201) ; constat nonnullis laciniis, quae variis manibus et modo lineis plenis, modo binis columnis exaratae sunt saec. XV. Videtur fuisse olim coenobii Rubeae Vallis; in huius enim bibliothecae catalogo (cod. 9373) commemoratus est codex signatus *O. 12. H.*, in quo legebatur: *Historia transmarina magistri Iacobi de Vitriaco et domini Iohannis Mandeville cum diversis aliis.* Atque haec reapse continet codex noster cum aliis; quorum nonnulla, etsi non hagiographica, notari etiam iuverit.

1° Historia transmarina magistri Iacobi de Vitriaco (fol. 1-65).

Liber I ed. apud BONGARS, *Gesta Dei per Francos*, t. I, p. 1047-1124.

2° Narratio quomodo sacer sanguis Brugis advenit (fol. 65v-66).

Excerptum partim quidem per modum compendii, sed et partim ad verbum ex Iohannis Longi Chronica S. Bertini, cap. 43, part. 3 et 4 (MARTENE et DURAND, *Thes. nov. anecd.*, t. III, col. 641-4; *Mon. Germ.*, Scr. t. XXV, p. 802-3); ubi vero scribit Iohannes : *a papa magne indulgencie concesse sunt*, nominatim recenset excerptor indulgentias ab Innocentio IV, ab Alexandro IV et a Clemente V concessas.

3° Vita B. Wandregisili abbatis (fol. 66v-75v).

Act. SS., Iul. t. V, p. 272-81.

4° [Vita S. Austrudis virginis] (fol. 76-81).

Ibid., Oct. t. VIII, p. 111-6.

5° Itinerarius Iohannis de Mandeville militis de Anglia (fol. 85-125v).

Ultima verba "*Explicit itinerarius... in dictam formam latinam*" ad verbum consonant cum iis quae leguntur ad calcem editionis, de qua CAMPBELL, *Annales de la typographie néerlandaise au XVe siècle* (1874), p. 338, num. 1198.

6° Tractatus Thelefori de Cuseria, presbyteri et eremitae, de cognitione praesentis schis[matis] et statu universalis Ecclesiae usque ad finem saeculi (fol. 131-49v).

Editus Venetiis an. 1515. Cfr. PASTOR, *Geschichte der Päpste*, t. I, p. 120, not. 2.

7° Passio septem fratrum Machabaeorum (fol. 197-200ʳ).

Passio, quae inc.: *Principium meum;* de qua cfr. nostrum *Catal. Paris.*, t. I, p. 575, 66° et p. 588, 26°.

8° In festis S. Marcialis apostoli et pontificis legenda (fol. 202-3).

Compendium Vitae auctore Pseudo-Aureliano editae apud SURIUM, t. VI (1618), p. 365-74.

9° [Orbis christianus, seu elenchus titulorum cardinaliciorum, item sedium metropolitarum earumque suffraganearum] (fol. 211-5ʳ).

10° Capitula provincialia canonicorum regularium ex statutis Benedicti XI (fol. 216).

Nempe elenchus provinciarum.

11° Provinciae ordinis Carthusiensis (fol. 217); Nomina domorum ordinis Carthusiensis (fol. 217-7ᵛ); Domus sororum ordinis Carthusiensis (fol. 218).

12° Nomina abbatiarum ordinis Cisterciensis (fol. 218-21).

13° Nomina abbatiarum ordinis Praemonstratensis (fol. 221ᵛ-2ʳ).

XXIX. Codex signatus 9394.

Partim membraneus, partim chartaceus, foliorum 264 (0ᵐ,285 × 0,213), binis columnis et variis manibus exaratus saec. XV. In parte recta prioris folii insiticii scriptum legitur : *Pertinet monasterio regularium Sancti Pauli in Zonia iuxta Bruxellam ad unum miliare;* quod est coenobium Rubeae Vallis. Atque in catalogo bibliothecae huius domus (cod. 9373) recensitum videmus sub signo *J. 1. V.* codicem, qui continebat *Vitas fratrum Praedicatorum cum aliis diversis.*

1° Vitae Fratrum Praedicatorum (fol. 1-50ʳ).

Liber Gerardi de Fracheto editus olim Duaci an. 1619 et Valentiae Aragonum an. 1659, nuper vero Massiliae an. 1875 a P. Hyac.-M. Cormier " prelo autographico „ recusum.

Bene congruit codex Vindobonensis cum codice Gandavensi (cfr. *Anal. Boll.*, t. III, p. 209-10; cfr. etiam nostrum *Catal. Brux.*, t. I, p. 344). Si vero idem cum editione Cormerii confertur, apparet ilico exemplar Vindobonense non tantum contractum, sed et mutilum. Accedit vero quam proxime ad veteres editiones. Non tamen ausim contendere puriorem exstare apud Cormerium textum primigenium.

2° Legenda S. Thomae de Aquino, qui fuit doctor sollemnis de ordine Fratrum Praedicatorum (fol. 53-84ʳ).

Vita auctore Bernardo Guidonis, ed. apud MOMBRITIUM, t. II, fol. 313-23ʳ; indicem capitulorum videsis *Act. SS.*, Mart. t. I, p. 716. Praemissum est, tamquam prae-

fatio, initium Vitae auctore Guilelmo de Thoco (ibid., p. 659, num. 1 et num. 2 usque ad : *remansit*; cfr. p. 600, annot. *b)*. Sequuntur Miracula auctore eodem Bernardo ed. ibid., p. 716-22.

3° Chronica brevis de processu temporis S. Thomae (fol. 84^v-5).

Inc. : *S. Thomae de Aquino, Praedicatorum doctor egregius, matri suae...*

Des.: ... *A felici vero transitu eiusdem de hoc mundo anno quinquagesimo currente.*

4° Passio S. Adelberti episcopi (fol. 87-95).

Act. SS., Apr. t. III, p. 178-87; *Mon. Germ.*, Scr. t. IV, p. 581-95.

5° Vita S. Cuthberti episcopi (fol. 95-97).

Ex Vita ed. *Act. SS.*, Mart. t. III, p. 97 sqq., scilicet num. 54-61, multis hinc inde omissis.

6° Enarratio episcopi Leontii de vita et actione S. Iohannis Alexandrini episcopi (fol. 99-116).

Ibid., Ian. t. II, p. 498-517. In fine nomen amanuensis traditum est : *Explicit enarratio episcopi Leontii ... per manus fratris Christiani de Traiecto Superiore infra octavam sanctissimi patris nostri Augustini anno XLI°. Deo Gratias.*

7° Bulla super novo festo Visitationis B. Mariae (fol. 116^v-7^v).

Bulla Bonifatii IX ed. in *Bullario romano*, t. III, 2 (Romae, 1741), p. 378-9.

8° Quaedam miracula in laudem gloriosae Virginis Mariae (fol. 118^v-120).

Quattuor miracula, de quibus A. Mussafia, *Studien zu den mittelalterlichen Marienlegenden*, I (1887), p. 40, num 13, 14, 15, et p. 53, num. 81.

9° Libellus Mileti Sardiniensis episcopi de transitu gloriosae et intemeratae virginis Mariae (fol. 120^v-22^v).

Alia recensio versionis ed. apud Migne, *P. G.*, t. V, col. 1231-40.

10° Beati Bernardi abbatis Clarevallensis Vita S. Malachiae archiepiscopi (fol. 123-38^v).

Act. SS., Nov. t. II, p. 146-66. Add. ad calcem. *Explicit Vita... finita anno XL°, in festivitate praeclara undecim milium virginum.*

11° Vita S. Gwidonis confessoris, in Anderlech iuxta Bruxellam quiescentis (fol. 138^v-40^v).

Ibid., Sept. t. IV, p. 41-8.

12° Vita B. Ludovici confessoris, quondam Francorum regis incliti (fol. 141-5).

Inc. : *Gloriosissimi regis Ludovici vitae ordinem... Certa fide comperimus...*

Des. : *Et cum ibi devotam orationem fudisset, satis cito meritis et precibus gloriosi regis...*

13° De translatione corporis S. Ludovici (fol. 145-6^v).

Inc. : *B. Ludovicus multorum annorum spatio... discrete et pacifice praefuit...*

Des. : *Cum ingenti veneratione collocatum condignum in perpetuum coleretur.*

14° Miraculum quoddam factum apud Sanctum Dionysium circa Dagobertum Clotarii regis Franciae filium (fol. 146-6v).

Alia recensio narrationis, quae legitur in Gestis Dagoberti II, cap. 7-11 (*Mon. Germ.*, Scr. rer. merov., t. II, p. 403-4).

15° Revelatio quae ostensa est S. Stephano papae huius nominis secundo in monasterio apud Sanctum Dionysium exsistenti (fol. 146v-7).

Mon. Germ., Scr. t. XV, p. 2-3.

16° Passio S. Genesii martyris (fol. 147v-8).

Satis similis Actis ed. apud Surium, t. VIII (1618), p. 266-7.

17° Vita et Passio S. Longini martyris (fol. 148-9).

Act. SS., Mart. t. II, p. 384-6.

18° Passio SS. martyrum Victoris et Coronae (fol. 149-50).

Satis similis textui ed. ibid., Mai t. III, p. 266-8.

19° De presbytero, in cuius manibus Christus infans apparuit in altari, dum celebraret (fol. 150v).

Inc.: *Quidam presbyter fuit religiosus valde, nomine Pelagius...*

20° S. Amphilocii episcopi Iconii Vita S. Basilii archiepiscopi Caesariensis (fol. 151-8v).

Versio illa, cuius prima verba prolata sunt *Anal. Boll.*, t. VIII, p. 99, 3°.

21° Vita S. Machuti episcopi et confessoris (fol. 158v-61).

Mabillon, *Acta*, saec. I, p. 217-21.

22° Vita S. Gwillhelmi ducis Aquitaniae et comitis Pictaviensis (fol. 161v-4v).

Auctore Theobaldo. *Act. SS.*, Febr. t. II, p. 452 sqq., inde a num. 4; multa passim omissa sunt.

23° Vita et transitus S. Iuliani, primi Cenomanensis episcopi (fol. 164v-8).

Ibid., Ian. t. II, p. 762-7. Om. epistula ad Avesgaudum ed. ibid., p. 1152.

24° Vita S. Arnulphi Suessionensis episcopi in Flandria villa Aldenburgh quiescentis (fol. 168-170).

Compendium editum apud Mabillon, *Acta*, saec. VI, 2, p. 555-7, quibusdam locis ex Vita maiore additis, v. g. epitaphium ed. ibid., p. 547; praefixa est genealogia ed. ibid., p. 508, num. 4.

25° De miraculis post transitum B. Arnulphi factis (fol. 170-70v).

Ex lib. III Vitae maioris cap. 1 sqq. (ibid., p. 549 sqq.).

26° De translatione corporis S. Arnulphi (fol. 170v-1).

Ex eodem, cap. 15 sqq.

27° De vita et moribus ac peregrinatione simul atque felici obitu S. Macharii, Antiocheni quondam archiepiscopi, nunc Gandavi in monasterio Sancti Bavonis quiescentis (fol. 171-4).

Act. SS., Apr. t. I, p. 878-92, num. 4-66, rescissis hinc inde nonnullis locis.

28° De vita et transitu S. Fiacrii in territorio Meldensi quiescentis (fol. 174-5).

Ibid., Aug. t. VI, p. 604 sqq. Om. prologus et non pauca in sequentibus.

29° Vita et transitus sanctissimi confessoris Laurentii, quondam primatis totius Hiberniae (fol. 175-6).

Compendium textus ed. in nostro *Catal. Paris.*, t. III, p. 236-48.

30° Attestatio de vita et origine sanctissimi confessoris Iudoci supra mare (fol. 176-8).

Surius, t. XII (1618), p. 253-5.

31° Vita et Passio sanctissimae Malaxendis *(sic)* virginis et martyris (fol. 178-8v).

Act. SS. Belgii, t. III, p. 581-6, inde a num. 3; om. subinde nonnulla.

32° Miraculum nivis, quod contigit Romae tempore Liberii papae post beatum Silvestrum tertii... (fol. 179-80).

Ed. apud Paulum de Angelis, *Basilicae Sae Mariae Maioris descriptio* (1621), p. 19-21.

33° Vita S. Gummari confessoris (fol. 181-4).

Act. SS., Oct. t. V, 682-6.

34° De translatione corporis S. Gummari confessoris (fol. 184-4v).

Ibid., p. 687, num. 18-20.

34° [Miracula eiusdem] (fol. 184v-5v).

Ibid., p. 687-8, num. 21 sqq.

36° Vita S. Remacli episcopi (fol. 186-7v).

Ibid., Sept. t. I, p. 692-5.

37° De miraculis, quae contigerunt post mortem S. Remacli episcopi (fol. 187v-90).

Ex libro I miraculorum ed. ibid., p. 696-703.

38° Vita S. Magni episcopi et martyris (fol. 190-2).

Ibid., Aug. t. III, p. 713-6.

39° Vita S. Augustini Anglorum apostoli (fol. 193-203v).

H. Wharton, *Anglia sacra*, t. II (1691), p. 51-71; subiuncta sunt miracula, scilicet compendium num. 1-48 et integros num. 49-59 libelli ed. *Act. SS.*, Mai t. VI, p. 397-410. Sequitur etiam praefatio ed. ibid., p. 375.

Demum haec nota: *Anno D. N. I. C. nativitatis M°. CCCC°. XLI°. in profesto circumcisionis Domini.*

Epitaphium magistri Petri Manducatoris. Quattuor nempe versiculi ed. apud Fabricium, *Bibl. lat. med. et inf. aet.*, 2a ed., t. I, col. 204, et saepe alibi.

40° Passio S. Sebastiani et aliorum plurimorum martyrum (fol. 204-15).

Act. SS., Ian. t. II, p. 265-78.

41° Passio S. Vincentii martyris (fol. 215-8).

Ibid., p. 394-7; sed in cod. ita incipit textus, ut notatum est ibid., p. 395, annot. *a*, et nonnulla subinde rescissa sunt.

42° Passio S. Polycarpi episcopi et martyris (fol. 218-20).

Ex epistula Smyrnensium ed. ibid., p. 705-7.

43° Passio S. Blasii episcopi et martyris fol. (220-2).

Ibid., Febr. t. I, p. 339-41, num. 1-11.

44° Passio S. Ignatii Antiocheni episcopi et martyris (fol. 226-8ᵛ).

Ibid., p. 29-32, num. 1-14. Desinit mutila ante finem num. 14.

45° Vita S. Rumoldi martyris (fol. 232-6).

Ibid., Iul. t. I, p. 241-7.

46° Septem epistulae S. Ignatii episcopi ad diversas ecclesias (fol. 238-43ᵛ).

47° Kal. Febr. Passio S. Ignatii martyris, discipuli S. Iohannis apostoli et evangelistae (fol. 243ᵛ-5ᵛ).

Act. SS., Febr. t. I, p. 29-33. Add.: *Hucusque historiam passionis eius conscriptor ipsius perduxit. Quid vero de eo vel epistulis eius Eusebius historiographus vel Iohannes presbyter in suis libris memoraverunt, iustum arbitratus sum huic loco subiungere...* Subiunxit porro haec fol. 245ᵛ-6.

48° Laus Hyronis in eum, discipuli eius et successoris, qui ei per revelationem fuerat ostensus, quod esset sessurus cathedram ipsius (fol. 246-6ᵛ).

Ed. in nostro *Catal. Brux.*, t. I, p. 518, 2°.

49° Epistula Polycarpi martyris, Smyrneorum episcopi, discipuli S. Iohannis (fol. 246ᵛ-7ᵛ).

50° De publica paenitentia Theophili, qui Christum abnegavit et veniam B. Mariae interventu promeruit (fol. 261ᵛ-3ᵛ).

Act. SS., Febr. t. I, p. 483-7.

XXX. Codex signatus 9397.

Membraneus, foliorum 201, exaratus medio saec. XV. Fuit olim Cruciferorum Ruraemundensium. Ad calcem legitur: *Scriptus est liber iste per manum fratris Iohannis de Susteren, completus anno Domini M°. CCCC°. LV°...*

Continet legendam auream, non tamen integram.

XXXI. Codex signatus 9397 a.

Sanctilogium Iohannis Gielemans.

De eo vid. *Anal. Boll.*, t. XIV, pp. 9-11, 14-42.

Alios quosdam codices libenter, si per leges nostras liceret, uberius describeremus; quos saltem breviter recenseri boni consulant nostri lectores.

1. Cod. 7924. Chartaceus, foliorum 259, saec. XV. Vitae Sanctorum lingua belgica scriptae.

2. Cod. 7954. Chartaceus, foliorum 167, saec. XV. *Leven en Legende van sinte Willem*, etc.

3. Cod. 7968. Membraneus, foliorum 183, anno 1481. Vita S. Hedwigis lingua belgica conscripta, etc...

4. Cod. 7987. Membraneus, foliorum 35, saec. XVI. *Constitutions de la confrérie royale de Saint-Sébastien dans l'église Saint-Pierre à Malines.*

5. Cod. 7992. Membraneus, foliorum 169, saec. XV. Martyrologium Usuardi. Necrologium monasterii B. Mariae de Gratia in Scheut (fol. 139-169).

6. Codex 7997. Chartaceus, foliorum 749, saec. XVII. *Ioannis Bapt. de Vaddere sacer flos campi, seu Nostra Domina de Gratia in Scheut-veldt iuxta Bruxellam.* Opus illud prelo prorsus erat paratum, tamquam quod edendum esset Bruxellis anno 1661.

7. Codex 7998. Membraneus, foliorum 50, saec. XV, eleganter picturis ornatus. Totum codicem implet Exordium monasterii B. Mariae de Gratia in Scheut iuxta Bruxellam, auctore Adriano Dullaert, ed. in *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, t. IV (1867), p. 87-122. In codice opusculum divisum est in capitula 93; ex quibus cap. 57-86, quae non leguntur in editis, exhibent *copias litterarum, ordinationum et actitatorum, de quibus in praecedentibus facta est mentio.*

8. Codex 9367. Membraneus, foliorum 104, saec. XV. Necrologium monasterii Cruciferorum in Ruraemunda (fol. 1-19v). Martyrologium Usuardi, etc...

9. Codex 9373. Chartaceus, foliorum 438, circa an. 1540. *a)* Catalogus bibliothecae monasterii Rubeae Vallis. *b)* Catalogus librorum, praesertim manu scriptorum, qui in variis bibliothecis monasteriorum terrae Gelrensis, Coloniensis, Clevensis, Traiectensis, item Brabantiae, Flandriae, Hannoniae, Leodii, Namurci, Mechliniae asservabantur.

10. Codex 9398. Chartaceus, paginarum 808 et foliorum 11, saec. XVII. Erat olim *monasterii S. Mariae in Corssendonc. a)* Compendium decursus temporum monasterii christiferae Bethleemiticae puerperae ordinis canonicorum regularium, pag. 1-779 (apographum codicis 9399; ad calcem add.: *Quae sequuntur desiderantur et perierunt ex ipso exemplari autographo*). *b)* Origo ac progressus canonicae de Corssendoncq, authore R. D. Iohanne Latomo, priore ad Thronum B. Mariae ac capituli Windesemensis commissario generali, scripta anno Domini nostri M. D. LXV, pag. 781-808, cum continuatione Hoybergii. Editum est hoc opus Antverpiae anno 1644.

11. Codex 9399. Chartaceus, foliorum 337, saec. XV extr.-XVI in. Compendium decursus temporum christiferae Bethleemiticae puerperae ordinis canonicorum regularium iuxta Lovanium. Est hoc, ut videtur, autographum auctoris, scil. Petri

Impens; ad calcem desunt quaedam folia, ita ut opus fine sit mutilum. De utilissimo libro, cuius unum tantum apographum, vel potius merum compendium adhuc notum erat, cfr. Ch. Piot in *Compte rendu des séances de la Commission royale d'histoire*, 4e sér., t. III (1876), p. 125-37; Acquoy, *Het klooster te Windesheim*, t. II, p. 218-9; t. III, p. 58.

Appendix ad cod. 7928.

De venerabili viro Godefrido Pachomio, monacho Villariensi (1).

(Cfr. supra p. 243, 5°, 6°, 7°.)

Prologus fratris Thomae ad sororem suam Aleidem, in Parcho Dominarum sanctimonialem, in vita servi Dei fratris Godefridi, cognomento Pachomii, germani sui carissimi.

Scribere propono Spiritus sancti dono vitam et actus fratris carissimi, plus provocatus affectu caritatis, quam effectu scientiae vel possibilitatis... Quae oculis vidi et pariter mecum viri fideles et sancti viderunt de conversatione viri Dei, nec non ea, quae a religiosis personis in amore et contemplatione sui creatoris et redemptoris mente et spiritu elevatis dicta vel annuntiata erant ei, memoriae et stilo commendavi, sicut ab ipsius ore suscepi ante tres annos suae beatissimae migrationis, ad aedificationem filiorum et filiarum Dei.. ..

Explicit prologus. Incipit epistula ad eandem.

Dilectae et praedilectae germanae suae sorori Aleidi, sanctimoniali in Parcho Dominarum (2), frater Thomas monachus in Villari, gaudere semper in Domino. Dilectus a Deo et hominibus nonnus Godefridus frater noster carissimus migravit ad Dominum VI° nonas octobris.....

Explicit epistula. Incipiunt capitula....

(1) De Godefrido Pachomio nonnulla exigui utique momenti legere erat in *Libro de gestis virorum illustrium monasterii Villariensis*, cap. 7 (alias 8), ed. apud Martene et Durand, *Thes. nov. anecd.*, t. III, col. 1247-8 et partim in *Mon. Germ.*, Scr. t. XXV, p. 232. Atqui haec sunt merum compendium Vitae amplioris, quam in codice Vindobonensi repperimus. Scripta est haec ab ipsius Godefridi fratre germano, Thoma nomine, qui cum Godefrido vitam monasticam in Villari egit, fateturque ea se in opusculo suo relaturum, quae *oculis viderit* et quae *ab ipsius* (Godefridi) *ore susceperit* (prol.) Porro quia in illo libello quaedam proferuntur, quae non omni merito vacant, ipsum iam exhibebimus, omissis tamen multis, in quibus generales dumtaxat laudationes et paraenetici excursus continentur. — (2) De quo cfr. *Gallia christ.*, t. V, col. 74.

Incipit vita bonae memoriae fratris Godefridi monachi de Villari. Quae viva voce legatur ad audiendum aperte et distincte, tacentibus omnibus ad intellegendum.

I. Unde sit natus frater Godefridus, de quibus parentibus, et primo de patre eius.

Est in Brabantia in Leodiensi diocesi oppidum, quod dicitur Lovanium, sui fama multis longe lateque satis cognitum. In quo erat anno Domini M° CC° vir nomine Reinerus, futurus post annos modicos servus Christi verus. Qui accepit sibi uxorem, quae appellabatur Aleidis, ambo secundum legem ecclesiae vitam honestam ducentes, cum vicinis et notis pacem habentes, et sine querela in saeculo conversantes, Deum creatorem suum et omnium timentes. Dominus Deus donavit eis liberos, quorum aliqui in infantia migraverunt ad Dominum in paradisi patriam, et eorum, dicente Domino, est regnum caelorum. Alii erant tres filii et unica filia, scilicet Reinerus primogenitus; secundus Godefridus, qui a pueritia fuit religiosus, et coepit, et bene didicit invocare nomen Domini, et crevit, et semper de die in diem in melius profecit, et sic usque in finem vitae suae devotus perseveravit. Filius vero tertius erat Thomas. Qui omnes litterarum studiis traditi sunt a parentibus. Thomas autem audivit aliquando patrem dicentem: *Si quadraginta haberem filios, omnes traderem litteris, Domino Deo in posterum servituros.* Unde Godefridum puerum iam religiosum obtulit Deo ad Sanctam Gertrudem (1) cum canonicis regularibus ibidem Domino serviturum. Ipse autem pater mansit cum duce Brabantiae, ab eo dilectus et ab omni frequentia curiae. Erat etiam ipsius ducis vestiarius ac vestium incisor vel formator et camerarius suorum scriniorum claviger. Specialem enim gratiam habuit ad ducem rogandi pro pauperibus, et in omnibus depositorum sibi commissis tam fidelis erat ei, ac si fuisset monachus, hoc attestantibus postmodum abbatibus suis confessoribus. Sua etiam petitione dabat aliquibus ornamenta ecclesiis, scilicet pretiosas casulas et huiusmodi. Vir erat moribus maturus et honestus, sermone rarus et modestus. Licet erat in curia laetantium, pro salute animae heu! parum curantium, ipse in mente sua vitae religiosae propositum gerebat, quod postmodum devotus implebat; nam sanctam vitam postmodum conversus in Villari per octo annos ducebat.

II. De laudabili conversatione matris eius.

Aleidis vero mater filiorum sanctam vitam et monasticam quodammodo, quantum licuit maritatae, in saeculo duxit. Vigiliis et orationibus, disciplinis et ieiuniis seipsam affligebat, pia pauperum hospita

(1) Cfr. *Gallia christ.*, t. V, col. 60.

exsistebat, longe a se manentes egenos et infirmos cum suis donis visitabat, singulis annis apud quandam villam, quae dicitur Herent (1), in festo gloriosae Annunciationis dominicae vel Assumptionis beatae Mariae virginis in peregrinatione ibat, se et suos liberos sanctae Dei Genetrici gloriosae semper virgini Mariae commendans, singulos denarios pro singulis offerebat, cum longa et devota oratione sacrae eius imagini assistebat.

III. De conversatione sororis eius.

Filia autem eius, nomine Aleidis, cum esset infantula, dicere consueverat : *Nolo in saeculo remanere, sed volo esse*[1] *nonna*. Et factum est ita. Nam secundum haec sua verba, licet puerili sensu prolata, ducta est a suis parentibus in Parcum Virginum (2); ibi petitione sua facta, est per Dei gratiam protinus exaudita. Quo in loco pueriles annos in magna peregit egestate et exsilio et amaritudine cordis acerrima.....

IV. De conversatione sua, cum esset canonicus regularis, et quomodo patrem et fratrem extraxit secum sua exhortatione de saeculo.

Dilectus Dei Godefridus, cognomento Pachomius, cum esset canonicus regularis, in annis puerilibus in coenobio Sanctae Gertrudis in Lovanio iugum Domini portans sub regula sancti Augustini, pius puer et timoratus divinitus inspiratus, cogitavit animae suae periculum; nam tam intus quam foris audiebatur strepitus saecularium; intrabant mulieres claustrum et ipsum dormitorium. Pro his et aliis erat puer in taedio et turbabatur plurimum... *O quis dabit mihi in Villari citius monachari!*... Patrem suum dulci exhortatione et fratrem studentem Parisius littera efficaci in simile attraxit desiderium. Qui, relictis litterarum studiis, in patriam rediit et patrem sanctum dominum Walterum, abbatem Villariensem (3), adiit et in fratrem se suscipi humiliter petiit. Vir sanctus considerans adulescentis bonae indolis et ingenitae naturae necnon scientiae conspicuam honestatem, suscepit eum gaudens in suorum filiorum societatem. Brevi temporis intervallo suscepit etiam patrem cum reliquis duobus filiis, scilicet Godefrido et Thoma.

V. Quod in nativitate gloriosae virginis Mariae ipse et frater suus Reinerus habitum religionis in Villari susceperunt, et de conversatione ipsius Reineri.

Igitur Godefridus, relicto suo coenobio, quod est in saeculo, perrexit cum suo fratre Reinero carissimo ad Villariense claustrum, offerentes ambo se ibidem, mundo mortui, perpetuum Deo in holocaustum. Susceperunt religionis habitum in sollemnitate nativitatis gloriosae

[1] esset *cod.*

(1) Vicus tribus kilom. distans a Lovanio inter septemtrionem et occidentem. — (2) Seu Parcum Dominarum, de quo supra, p. 263, not. 2. — (3) An. 1214-1221.

Dei genetricis semperque virginis Mariae anno ab Incarnatione Domini M° CC° sextodecimo. Felicis recordationis frater eius Reinerus prudens adulescens totus Deo deditus est; cum paenitentiam suam strenue peregisset in sex annis et sex septimanis, in conversatione optima plenus virtutibus et divina gratia, non intrans purgatorium, sicut plenius scriptum est in libello vitae suae (1), volavit ad Dominum.

VI. De eo quod onus ordinis numquam fuit oneri usque in finem suo spiritui....

VII. De conversatione eius et quomodo se habebat in labore, quia laborabat corpore et orabat mente....

VIII. Quod magnas disciplinas sibi sua oratione comparabat....

IX. De fervore quem habebat ab initio conversationis suae usque in finem in servitio Dei, semper cantando et Deum laudando....

X. Quid in pueritia, cum esset scholaris, agebat, et de compassione eius ad pauperes vel infirmos, et quod in refectorio propter pauperes dimidiabat cibos....

XI. De decem obolis, quos dedit pauperibus.

Dum ituri eramus pariter in viam tempore domini Nicholai de Horunt (2), abbatis nostri, rogavit misericors Godefridus ipsum abbatem decem obolos dandos pauperibus. Cum autem venissemus Lovanium, mane surreximus, euntes usque Parcum Dominarum, transivimus plateam prope venerabilis matronae ac Deo dilectae dominae Beatricis [1] domum. Et ecce pauperes rogantes virum Dei, ut eis daret elemosynam, statim laetus substitit et omnes obolos eis tradidit. Alii pauperes, qui non acceperant, rogabant eum, ut eis similiter aliquid daret, et ipse compatiens et condolens eis respondit: *Ay, quam libentissime vobis similiter darem, si ad dandum aliquid plus haberem.*

XII. Quod pius erat consolator pauperum.

... Congregationi pauperum in infirmitorio hospitum languentium singulos visitando amabilem et affabilem se semper exhibebat, et coram eis missam cottidie celebrabat. Tempore pluviae et nivis, asperrimi algoris hiemalis, in sola cuculla et sine botis illuc ire solebat. Missa celebrata, festivis diebus citius redire et ad capitulum ocius venire. Sic ibat et redibat in sui corpusculi fatigatione, sed nimis voluntarie in spiritus fervore.

XIII. Quod a multo tempore omni anno in augusto poma collegit in pomeriis iacentia, ut pauperibus daret ea, et quod numqnam in ordine tepuit a suo bono fervore....

[1] Betricis *cod.*

(1) Qui nunc latet. Pauca de Reinero tradit citatus *Liber de gestis virorum illustrium monasterii Villariensis*, cap. 8 (alias 9). Cfr. supra, p. 263, not. 1. — (2) Anno 1258.

XIV. Quod libentissime et ferventi desiderio coquinam et mandatum faciebat, retas et pedes monachorum lavabat, et vestes a pulvere excutiebat....

XV. De gloriosa eius patientia....

XVI. Quod plurimum periculis animarum et peccatoribus compatiebatur et orationibus suis multorum gravamina pacificavit et totaliter sedavit....

XVII. Quod iam potentior est ad impetrandum pro nobis exsistens in caelo, quam fuit dum erat nobiscum vivens in coenobio....

XVIII. Quod semel cantavit dormiendo et audivit vocem : " Dormite iam „ etc., et quidam monachus vidit in somnis quod amplexabatur a beata virgine....

XIX. Quod multae sanctae animae testatae sunt ipsum transisse et ad paradisum volasse absque purgatorii igne....

XX. Quod quaedam beata anima die quadam fuit rupta in Villariensi ecclesia et vidit Godefridum stantem ante altare et orantem....

XXI. De multis visionibus et prophetiis de ipso ante mortem visis et dictis....

[Ita nempe vaticinatae sunt soror Awides inclusa de Leodio, soror Oda inclusa de Monstris.]

XXII. De eo quod dixit Iohanni sacristae, cognomento Praecursori, circa maium, quod transiturus esset post augustum....

XXIII. Quod frater Reinerus germanus eius apparens domino Wilhelmo, quondam abbati nostro, dicens fratrem Godefridum in duplo maioris meriti, quam ipse, esse[1] futurum....

XXIV. Quod Godefridus servus Dei erat quodam tempore servitor infirmorum cottidie....

XXV. Quod in novitate conversationis suae arguebatur pro nimio fervore....

XXVI. Cum quadam die esset Nivellae.

Acceperat Godefridus vir desiderantissimus tempore quodam, non multum scilicet ante animae suae a corpore separationem, ab abbate suo licentiam eundi secundum suum desiderium causa visitandi sanctas animas Nivellam, quarum scivit[2] in caelis magis esse quam in terra conversationem. Est autem ibi quaedam beata anima semper languens...

XXVII. De glorioso transitu suo.

Feria secunda, quae quarta dies fuit tunc a die sollemni nativitatis gloriosae et perpetuae virginis Mariae, correptus magnis febribus, per tres continuas septimanas afflictus est in eis usque ad mortem... In vigilia sancti Michaelis communicatus est; in die crastino corripuit eum febris plus solito validior, prius in frigore valido...; post in calore gravi iacuit usque ad mortem, verum in illis tribus diebus continuo laborabat, ultimum spiritum trahens sine motu omnium membrorum, insensibilis ad omnia exteriora... Anno Domini M°. CC°. LXII°.,

[1] esset *cod.* — [2] sitivit *cod.*

cum quadraginta septem annis et quattuor diebus laudabiliter Domino Deo servisset in ordine, tribus septimanis infirmitate detentus, sexto nonas octobris migravit... ad Dominum Deum suum.

XXVIII. De gloriosa visione, quae visa est in transitu suo....

XXIX. De alia visione simili superiori....

XXX. Quod ante triginta annos vidi eum in visione migrasse....

XXXI. Quod post obitum suum vidi et video eum saepe in somnis....

XXXII. Sunt aliqui qui dixerunt : " Frater Godefridus bonam vitam duxit, sed miraculis non effulsit. " Debet[1] ergo vita eius scribi....

XXXIII. Aliquis dixit : Debet scribi quod poma in pomerio quaerens attulit portario pauperibus tribuenda....

XXXIV. Quod congaudendum est ei, quia longa exsilii huius captivitate transiit ad propriam perennis vitae memoriam....

Appendix ad cod. 9368 b.

De BB. Martyribus Carthusiensibus in Anglia.

(Cfr. supra, p. 248-49).

In cod. Vindobonensi nullus titulus libello praefixus est.

P. 36, l. 4. (Cod. Hagensis): ac = *(Cod. Vindob.):* et; — *l. 7,* anglicano = Angliae; — *l. 11,* Londoniensi. = Londinensi: — *l. 14,* novae = nostrae *add. postea in marg.;* — *l. 20,* Hoorne = Horne; — *l. 22,* propriae *om. cod. Vindob.*

Post prologum, prout est editus in Anal. Boll., haec leguntur in cod.
* f. 1rb *Vindob., quae omnia desunt in cod. Hagensi:* * Ut autem in hac descriptione convenientius progredi valeam, ab ipso venerabili patre priore praefatae domus Londoniarum ac principali visitatore provinciae anglicanae narrationis exordium sumam. Finit prologus.

2. Fuit igitur praedictus venerabilis pater et omni laudum praeconio dignus, Iohannes Houghton (hoc enim illi nomen erat), ab honestis ac religiosis parentibus progenitus in comitatu Essexiae in praedicta
* f. 1va Angliae patria. Qui a parentibus affectuose enutritus * ac litterarum studio traditus, in eisdem adeo profecit, ut gradum baccalauretus in utroque iure digne adeptus sit in academia Cantabrigiensi. Quo adepto, eum parentes iam pubertatis annos ingressum conubio iungere disposuerunt. Quod ille[2] perspiciens, parentes latenter[3] declinavit, quia dispositus ab ipsis status coniugalis minus sibi placuit; nam divinis sese dedere statuerat obsequiis. Clam igitur fugiens,

[1] *Forsan corrigendum est* : Non debet, *et haec ultima prioribus coniungenda.* — [2] *Postea supra lineam scriptum.* — [3] (p. l.) *add. postea in margine.*

cuidam venerabili ac religioso sese coniunxit sacerdoti, donec et ipse sacerdotalem adeptus est dignitatem. Qua adepta, ad parentes rediit, et tandem de omnibus, quae egerat, pacatos reddidit. Sicque in hoc statu per aliquot annos laudabiliter degens, coepit tandem ad altiora aspirare, atque artissimum carthusianae observantiae institutum toto cordis affectu expetere. Quod demum post diutinam dilationem adeptus est in domo Londoniensi, anno aetatis suae vigesimo octavo, ibidemque totaliter veterem hominem exuens, vere novum induit, qui secundum Deum creatus est.

3. Degebat enim ibi [1] vitam propense eminentem in multa austeritate, humilitate, patientia atque perfecta sui ipsius * mortificatione, * f. 1vb.
cellae ac silentii semper diligentissimus observator. Omnes praeterea dies abstinentiarum, in pane et aqua, in quantum sibi possibile fuit, ieiunare consuevit, et alia plura id genus mortificationum ac paenitentiarum exercitia prae ceteris faciebat. Quae tamen omnia artissime abscondere studebat, soli Deo placere cupiens, et abiectus esse desiderans in domo Dei. Et ut paucis multa perstringam, in omminoda sua conversatione tam religiosum ac exemplarem sese exhibuit, ut ab omnibus perfectus et sanctus, ut vere erat, haberetur. Sicque primum ad officium sacristae promotus fuit, quod omnium onerum sive oboedientiarum sibi quam maxime placuit, quia pro summis deliciis ducebat circa ecclesiam et ecclesiastica ministeria die noctuque versari. Quae omnia cum ingenti alacritate, modestia et reverentia perficiebat, in omnibus occasiones proficiendi ac merendi captans. Sub cuius tempore hoc, quod sequitur, miraculum contigisse patres nostri mihi rettulerunt.

4. Quidam frater, pestilentiali morbo attactus, ad extrema
* deductus est. Qui cum corpus dominicum sumpsisset, prae nimia * f. 2ra
debilitate illud deglutire ac retinere nequivit, sed mox evomuit. Quod pater vicarius, eo quod prior aberat, cum omni simul eiecta immunditia collegit, et assumpsit, atque ad cellam huius sancti patris tunc sacristae comburendum detulit. Accensa igitur pyra, contendebant ii duo patres, uter eorum illud in ignem mittere deberet. Neutro autem hoc facere praesumente, reservatum est per duos dies. Quibus elapsis, venerabilis sacrista illud sacratissimum dominici corporis sacramentum e caeno, cui commixtum erat, reverenter, ut quivit, recollegit, intendens illud in proxima celebratione sua sumere, consulto tamen super hoc devoto quodam fratre converso, cui Deus crebrius secreta revelaverat, anxie scire desiderans divinum super hac re beneplacitum, quia illud comburere formidabat et sumere quodam modo abhorrebat. Frater igitur ille conversus iussa completurus divinam

[1] *Add. in marg.*

enixius deprecatus est clementiam, quatenus eidem aliquod indicium
* f. 2rb demonstrare dignaretur. * Et ecce tempore matutinarum isdem frater in spiritu positus vidit magnam caelituum multitudinem, quorum singuli cereum ardentem manu gestabant, composito gradu sacrarium introire, atque ad illum locum, ubi repositum erat corpus Domini, procedere, ibique summa cum reverentia adorantes, cistam qua reclusum erat aperire; factaque ibidem aliquantula mora, disparuerunt. Sed quid interim illic egerint, ipsi fratri, qui haec vidit, mansit incognitum. Ad se autem reversus frater in aurora requisivit sacristam, anne in tali loco, scilicet sibi divinitus demonstrato, praedictas sacratissimi corporis Christi reliquias reposuisset. Illo *ita* respondente, mox visum eidem aperuit. Quo audito, devotissimus sacrista, postposito omni timore tum mortis tum nauseae, mox sese cum omni alacritate ad celebrandam missam praeparavit, sub qua et illud repositum reverenter et alacriter recepit. Quantam autem ille ex hoc internae dulcedinis susceperit gratiam, quamvis nullus efficaciter
* f. 2va cognoscere potuit, nisi is qui eandem receperat, tanta * tamen fuit, ut cuncti adstantes evidenter percipere potuerunt.

5. Expleto igitur laudabiliter cum omnium fratrum gratia in hoc officio sacristae quinquennio, idem venerabilis pater sacrista ad officium procuratoris assumitur. O quantus eum mox maeror invasit, quantae lacrimae profusae, quod sic omnino invitus gratissimae atque dilectissimae sibi solitudinis ac silentii dulcedinem deserere cogebatur. Allegabat ille in sui excusationem corporis debilitatem, externorum imperitiam et plura iis similia. Quibus omnibus non admissis, oboedire coactus est. Sed divina clementia eum sic simpliciter oboedientem non deseruit; sed tantam ei gratiam contulit, ut, quocumque se verteret et quidquid ageret sive intus sive foris, eum interna dulcedo divinae contemplationis et consolationis non modo non desereret [1], sed amplius illustraret. Quoniam diligentibus Deum, teste apostolo, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Sic et iste sanctus vir cum tanta alacritate,
* f. 2vb morum gravitate ac mentis integritate istud iniunctum sibi * administravit officium, ut non solum nullum detrimentum incurreret, sed multimodam gratiam et apud Deum et apud homines sibi conciliaret; quia, teste Apostolo, qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit.

6. Ipso igitur et istud officium laudabiliter et utiliter ministrante contigit domum Bellevallis priore destitui, atque ipsum in priorem eiusdem domus unanimiter eligi. Quod etiam officium subire coactus est. Sed ipso vix per dimidium annum administrato, ad suae profes-

[1] *Prius* deserereteet.

sionis domum revocatus est. Emigraverat enim ex hac vita venerabilis pater prior eiusdem nostrae domus Londoniarum nomine Iohannes Batmanson. Ad cuius supplendas vices iste venerabilis pater uno omnium consensu, quod ibidem raro aut numquam visum fuerat, assumptus est; ac demum anno secundo prioratus sui a reverendo patre maioris Carthusiae electus ac promotus est in principalem anglicanae provinciae visitatorem; sicque qui latere ac nesciri cupiebat, per divinam providentiam ad multorum profectum in lucem est editus. Sed qualem et quantum in iis omnibus * administrationum oneribus sibi potius quam honoribus sese exhibuerit, stilo non posset facile comprehendi, unus et idem semper et ubique perseverans, in tutissimo humilitatis portu semper se continens. Nec umquam honores in ipso mores mutarunt, nisi in melius. Aegre admodum ferebat, si quis eum fortuito dominum appellasset, aut aliquam aliam nominis praeeminentiam eidem attribuisset. Confestim reprimebat dicens: *Parcite, fratres, parcite. Non licet enim pauperi monacho Carthusiano dilatare fimbrias, aut ab hominibus vocari Rabbi.* Quotienscumque autem fratres se eidem inclinabant, in magnam sui ipsius hoc accepit humiliationem, rogabatque eos ut in huiusmodi caerimoniis (ad quas et divina eloquia et ordinis statuta omnes et singulos adhortantur) sibi aut sibi mutuo exhibitis, Deum semper prae oculis haberent, omnia in eius nomine et honore facientes, et non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui inspector est cordis. * f. 3ra

7. Praeterea cum in aliena cella solus esset cum aliquo fratrum non ut prior, id est ut maior, sed ut minimus fratrum sese habebat, dicereque solebat prioratum se in cella reliquisse. Sed in conventu * et in propria cella sese gerebat ut eius congruebat officio, cum maxima tamen modestia et humilitate. Atque cum tanto moderamine cuncta agebat, ut a cunctis et amaretur et timeretur; eumque in tanta reverentia universi habebant, ut in exhibendo ipsi honore se excedere posse non putarent. * f. 3rb

De patientia eius quid referam? Ipsa verba iniuriosa, exprobratoria et oblocutoria, quae a malignis et quibusdam apostatis audivit, pro testimonio sufficiunt. Nam quodam tempore unus eorum manus in eum violentas iniecit. At ipse non modo non restitit, sed pedibus eius provolutus, ut verus patiens et discipulus Christi, maxillam percutienti praebuit. Qui ob hoc in maiorem furiam incitatus, ipsum multimodis opprobriis ac verberibus affecit. Quod alii percipientes eum de manibus furentis eripuerunt. Sed ipse tantae fuit patientiae, ut nec illo nec ullo umquam tempore aliqua passione irae commotum habuit animum, nec ullum umquam comminatorium aut turbativum locutus est verbum. Sed quum fratres illum furibundum, qui patri suo

* f. 3ra talia irrogare praesumpserat, carceri, ut meruerat, mancipari [1] * vellent [2]. ille ut verus imitator Christi dixit: *Parcite, quaeso, fratres, parcite. Cur* [3] *aemulamini pro me? Quid simile umquam mihi fecit? aut etiam modo quid mali fecit? Mihi non nocuit; quare ita irascimini? Iste bonus frater non fuit in culpa, sed inimicus ille animarum nostrarum, qui pacem nostram turbare molitur. Ne igitur ipse inimicus inde nimium supergaudeat, dimittite, obsecro* [4], *hunc fratrem nostrum* [5]; *sed in aliorum exemplum recludatur per aliquot dies in cella sua;* peccantem fratrem potius lenitate evincere volens, quam rigore iustitiae corrigere, utrobique, in se et aliis occultis, adversariis nocendi aditum praecludens, ne scilicet, propriae causae nimium severus iudex exsistens duriusque delinquentes feriens, ad mala procliviores redderet, et tranquillum mentis suae statum nebulis turbationum obfuscaret. In causa vero Dei alterum se Moysen aut Phynees demonstrabat, ferventissimo zelo quae Dei erant promovens, et quicquam in contrarium facientes persequens ac feriens.

8. Sed ante omnia ei summum studium fuit et lucta continua, ut in
* f. 3vb se sua membra, quae erant super terram, mortificare posset, * ne forte aliis praedicans ipse reprobus inveniretur. Sed et alios ad hoc assidue admonebat. Quae autem bella et quas in se pertulerit molestias, ut ad perfectam sui mortificationem pervenire posset, vix ullo explicari posset sermone. Licet enim cuncta, quae circa se gerebantur, occultare summopere satageret, tam aperta tamen fuit ei frequenter colluctatio non solum adversus carnem et sanguinem, sed adversus ipsos principes tenebrarum, ut et alii hoc evidenter perciperent. Nulli tamen umquam de pondere ac aestu suarum tentationum conquestus est, nisi quandoque soli illi fratri primam suae habitationis cellulam inhabitanti dicere solitus erat: *O frater, si talis et talis locus loqui posset, tibi miranda intimare posset.* Quid plura? ad tantam demum per cooperantem in se divinam gratiam devenit perfectionem, ut omnium in se virtutum ornamenta conquireret, atque in eo velut in lucidissimo speculo resplenderent.

9. Quantae autem fuerit et devotionis, cottidianae eius attestabantur lacrimae. Singularem namque habuit gratiam lacrimarum. Vix enim umquam dies praeteriit, quo genae ipsius lacrimis non
* f. 4ra sunt irrigatae et maxime sub sacrificio missae. * Et quandoque etiam in refectorio tanta amoris ac devotionis replebatur dulcedine, ut se a fletu cohibere non potuerit [6]; sed a mensa surgere compulsus, ad compunctionis ac devotionis suae consciam recurrebat cellulam,

[1] *Post rasuram et correct.* — [2] *Lineae suprascriptum.* — [3] *Post corr.; ante corr.:* quare. — [4] *Exundat haec vox in oram.* — [5] *Prius add. vox* carcere, *nunc prorsus illita colore rubro.* — [6] *Sic post corr.; ante corr.:* poterat.

ibique eo liberius, quo secretius, dulcissimo lacrimarum pane saturatus fuit.

Fuit ei praeterea et summum studium, ut utrobique ab omnibus pax et caritas servarentur. Et quotiens aliquid in contrarium oriri quovis modo percipere potuit, murum se posuit pro Israel, et cuncta mox cum summa lenitate ac moderamine compescuit. Si autem erga [1] se motus insurgebant, ob pacis custodiam humiliter humi prostratus prior veniam petere non erubuit. Sed et quolibet paene mense publice in capitulo cunctorum provolutus pedibus, de defectibus et neglegentiis suis, obortis lacrimis, veniam petere consueverat, et ut haec sibi ignoscerentur, humiliter expostulabat, ceteros per hoc ad proprias agnoscendas et emendandas culpas fortiter inflammans.

10. Et super omnia studuit plus amari quam timeri, prudenter considerans quod immoderata * austeritas multorum malorum seminarium exsistat. Et ideo quicquid increpandum aut emendandum occurrebat, abiecto austeritatis aculeo, cum mira dulcedine reprimebat, omnes et singulos indesinenter adhortans, ut memores suae professionis absque ullo taedio aut torpore quae voverant reddere non neglegerent, ut sic a Deo repositam sibi secure exspectare possent mercedem. Curiositates vero omnes admodum abhorruit, et ceteros ab eisdem omnimode compescuit. Sed et male petentium sensualitates aut curiositates cum tanta lenitate ac moderamine reprimebat, ut alacriores ab eo discederent, denegata petitione, quam si petita obtinuissent. * f. 4rb

Item ut sub divino servitio uniformitas in caeremoniis, reverentia in moribus et in cantu morositas observarentur, indesinenter admonebat et vigilanter instabat, dicens illud esse officium angelorum, et ideo illud sic agendum in praesenti vita, ut idipsum in aeterna beatitudine cum ipsis angelis perfici possit: *Quia nullum exercitium Deo gratius et nobis utilius agi potest. Quapropter, fratres * carissimi, non pigeat nos in eodem immorari, quia omne tempus debemus existimare perditum, de quo exacta reddenda erit ratio, quod in divinis laudibus non fuerit expensum. Non parcamus ergo in eisdem nec corporibus nec vocibus, sed resonet vox laudis in auribus audientium, et glorificent Patrem nostrum qui in caelis est; ne forte, si idipsum remisse, quod absit, egerimus, incipiat nos evomere de ore suo.* Adeo enim remissum cantum abhorrebat, ut, si quando hoc fiebat, chorum indignabundus exiret, et in proximo capitulo durius increparet et corrigeret. * f. 4va

11. Errores etiam in divino servitio molestissime ferebat. Et quia ei cura erat de omnibus, studebat se singulis coaptare secundum uniuscuiusque condicionem et capacitatem, ut omnes lucrifaceret,

[1] (a. e.) *post corr.; ante corr.:* ergo contra.

sciens quia de omnibus reddenda esset ratio coram aequissimo ac summo iudice Deo. Et praecipue singulis mensibus in publica collatione, quam facere consueverat, cum tanta verborum dulcedine et efficacia omnes et singulos adhortabatur, ut suae salutis memores Deo vota solvere studerent, ut eloquium eius vere dici potuisset
* f. 4vb ignitum, quia corda audientium tanto devotionis * fervore accendebat, ut quilibet ad currendam viam mandatorum Dei et ad ea, quae salubriter admonuerat, sese cum omni alacritate accingeret. Tam fervido etenim verae caritatis amore erat ipse devotissimus pater succensus, ut omnes sibi assistentes etiam ipse accenderet.

Fuit praeterea et admodum prudens in consiliis, modestus in moribus, discretus in verbis et tam sanctus in omnibus suis operibus intra et extra monasterium, ut omnes eum perfectum et sanctum, ut vere erat, acclamarent, et dignum sanctorum catalogo adscribi, etiam si communi morte collectus fuisset ad patres suos; quanto magis nunc, cum per martyrii palmam ad aeternam pervenire meruerit gloriam.

Quantum autem ad exteriorem corporis formam, fuit praescriptus religiosissimus pater statura pusillus, facie decorus, capillo nigro, canis aliquantulum intermixtis, visu verecundus, eloquio dulcis, moribus modestus, castus corpore, corde humilis et opere sanctus atque perfectus, adeo ut et inimicus in eo non invenire potuerit, quod reprehendere posset.

12. Sed haec pauca de hoc sancto patre obiter dicta sufficiant,
* f. 5ra quia * cuncta describere prohibet dicendorum copia, propria imperitia et insufficientia et temporis iniquitas, quo plerisque huiusmodi narratio aut adulatoria videtur esse aut ficticia. Sed iam de totali congregatione sub huius sanctissimi patris regimine constituta hic aliqua inserere lubet.

Fuit imprimis in ea summa pax et caritas, adeo ut nec ego nec quisquam seniorum nostrorum umquam audire potuerit aliquod verbum iniuriosum, turbativum, aut improperativum in alterutrum iaculari. Sed verae caritatis vinculis connexi, paucis demptis, de quibus etiam infra aliqua inseremus, alter alterius onera et infirmitates portare satagebat. Silentium et solitudo strictissime ibidem servabantur, adeo ut, si quisquam eorum a quolibet quantumcumque propinquo extra cellam salutatus fuisset, licet etiam habita licentia, non resalutasset, sed paululum inclinans ad cellam collocuturus eum duceret. Nec etiam quisquam confratri sine licentia loqui praesumebat; nullus etiam ibidem evagari visus est per domum, adeo ut a nescientibus domus absque habitatore esse diceretur, cum tamen
* f. 5rb ibidem cohabitarent XLVIII * religiosi, triginta monachi scilicet et [1]

[1] *Subsecuta prius vox* quindecim, *rubro colore obducta est.*

octodecim conversi. Nullus ibi quod suum erat quaerebat, sed magis quod aliorum.

13. Visus insuper inter eos erat summa continentia, ut nullus praetereuntem aut assistentem intueretur, sed unusquisque in sola sui ipsius custodia intentus erat. Erat etiam pia inter eos concertatio, non quis eorum esset maior, sed in iis, quae religionis erant, esset observantior, in oratione devotior ac diuturnior, in divinis laudibus ferventior ac vigilantior, atque in compunctione et contemplatione crebrior. Eratque eis cor unum et anima una, et omnia eis communia, adeo ut *meum* et *tuum* inter eos penitus non nominarentur, sed, omni curiositate depulsa, vera parcitas, paupertas et in victu ac vestitu sobrietas a cunctis studiose amplectebantur. Item divinum servitium adeo devote ac morose ibidem agebatur, ut audientes ad singularem devotionem incitarentur, ita ut vulgo diceretur: " Quicumque vult audire divinum servitium devote celebrari, pergat ad domum Carthusiae ". Ad quam nullus umquam divertit, quin aedificatus discederet. Sed et inter conversos eadem erat pax et * caritas, morum gravitas, religionis observantia, in oratione devotio et contemplatione assiduitas, frequens Marthae ministerium sic fideliter ac caritative adimplentes, ut Mariae otium et contemplationem non neglegerent. Et praecipue inter eos duo erant adeo in oratione ac contemplatione assidui et in Deo absorpti, ut in oratione constituti frequentius corpore a terra elevarentur. Quorum unus Rogerus Edwardes, alter Iohannes Davy vocabatur. Et plures alii erant ibidem etiam inter sacerdotes adeo divini amoris dulcedine inebriati, ut etiam ipsi saeculares dicere solebant eos potius angelos quam homines exstitisse. Sed et ipse religiosissimus pater prior crebrius dicere solebat sese angelos sub sua oboedientia habere. Quod ita plane erat, non substantiae similitudine, sed vitae puritate et contemplationis assiduitate. Dii enim et filii excelsi vere dici poterant. * f. 5va

14. Sed ipse Sathanas, humanae salutis inimicus, eorum pacis caritati ac sanctitati invidens, omnimode a iustitiae tramite eos avocare nisus est, aliquando visibiliter eis in diversa * terribili effigie apparendo et exterrendo, et quandoque etiam plagis gravissimis afficiendo, quarum vestigia et livores multo tempore in eorum corporibus apparebant. Quod crebrius diversis factum fuisse multimoda patrum nostrorum narratione cognovi. Sed unius tantum exemplum hic enarrare libet. * f. 5vb

Fuit inter ceteros in illa nostra domo Londoniensi quidam venerabilis ac mirae sanctitatis pater, sexagesimum in ordine excedens annum, e quibus triginta annis prioratum dignissime rexit, Guillielmus Tynbighe nomine, natione Hibernus. Qui ante habitus et ordinis susceptionem Iherosolimitanam aggressus est peregrinationem, in

qua et ab Agarenis captus fuit et perimendus carceri traditus. Sed ipso in hac angustia constituto, pridie quam occidendus erat, venit ei in mentem memoria cuiusdam imaginis divae Katharinae in capella domus paternae dependentis. Ad quam toto cordis affectu conversus, efflagitabat cum crebris et lacrimis et suspiriis praefatam
* f. 6ra Christi sponsam pro sui liberatione. Et in hac sua * supplicatione diutius persistens, in somnum incidit, a quo evigilans invenit se in ipsa capella domus patris sui ante praefatam imaginem consistere. Unde et ipse et ceteri, qui aderant, plurimum admirati et de inopinato eius adventu gavisi sunt. Ipse autem divinam in se expertus clementiam et beatissimae Katharinae patrocinium, rem, prout gesta erat, cunctis enarravit. Quod illi audientes eum in magna reverentia habere coeperunt et ut sanctum venerari. Ille hoc perpendens clam aufugit, et ad civitatem Londoniarum advenit, et post aliquantulum temporis habitum religionis in domo nostra suscepit. In qua alter Anthonius effectus est in vitae sanctitate, tentationum sufferentia et frequenti daemonum conflictu, qui frequenter tantis eum affecere plagis, ut, semivivo relicto, vestigia in eius corpore longo tempore permanerent, et quandoque eum omnium membrorum usu privarent. Iste sanctissimus pater per multos annos ante suum obitum raro vel numquam dicere potuit illud sanctissimum evangelium : *In principio erat verbum* absque extasi aut raptu. Et quodam tempore raptus fuit in paradisum, ubi et audisse se perhibebat ineffabilia verba, et multos
* f. 6rb ibi vidisse ac cognovisse olim * sibi notos et familiares. Ipse etiam prophetico spiritu afflatus nobis praedicere solitus erat ea, quae iam passi sumus, mala, et quod tantisper invicti et invincibiles permaneremus, dum concordes et unanimes essemus; quod quam verum fuerit, evidentissime experti sumus. Obiit autem sanctissimus hic pater anno Domini XV^c XXIX.

15. Ceterorum autem tentamenta et virtutes si enarrare vellem, vires mihi deficerent et tempus. Et de iis etiam plura loqui non praesumo, ne veritatis attestatio adulationis aut propriae laudis obsequium esse putetur. Sed quia, divo attestante Gregorio, soli boni esse noscuntur in caelo, et mali soli in inferno; in mundo autem, qui locus medius est, commixti sunt boni cum malis, adeo ut vix umquam inventa fuerit ulla congregatio, licet etiam paucorum, ubi cum bonis mali inventi non fuerint, qui aliis essent in cautelam et exercitium, sibi autem in perpetuae damnationis cumulum, quia nulli peiores sunt, ut beatus inquit Augustinus, quam ii, qui in monasteriis male vixerunt, et nulli meliores, quam qui in eisdem profecerunt; ita et in hac sancta congregatione non defuerunt etiam mali et suae salutis
* f. 6va incurii, qui alios exercerent * ac probatiores redderent. Quia Abel esse desiit, ut beatus inquit Gregorius, quem Cayn frater non persequitur.

Sed horum perversitas etiam hic crebro a Deo terribiliter punita fuit, ut ex sequentibus patebit. De quibus hic aliqua ad aliorum cautelam inserere libet, quia felix est, quem aliena pericula cautum faciunt.

16. Erat itaque in hac domo nostra Londoniensi monachus quidam, Thomas Salter nomine, qui ob crebras apostasias quodam tempore carcere reclusus fuit cum custodia unius conversorum, ne amplius fuga, quod saepius fecerat, elaberetur. Quem adeo terribiliter daemones quadam nocte agressi sunt et tanta caede mactaverunt, ut penitus eum enecassent, nisi custos ipsius, hoc in spiritu cognoscens, rumores audiens et impetum ipsorum videns, sanctis precibus et clamoribus daemones effugasset. A quibus miser ille liberatus, vix post multam moram ad se reverti potuit. Neque hac tam horrenda castigatione emendatior effectus fuit; sed postmodum apostatans misere in eodem [1] perseverat.

Fuit item et alius monachus, Georgius nomine, et ipse olim canonicus regularis, qui * vehementer ad ollas carnium aspirabat. Cui cuncta, * f. 6vb quae ordinis erant, onerosa videbantur et gravia. Hic quodam tempore gravi taedio affectus et apostatare praemeditans, tempore vesperarum ecclesiam exiit atque capitulum ibidem deambulaturus introiit. Cui ipsum capitulum ingredienti imago crucifixi, quae in oppositum pendebat, faciem ab eo avertens dorsum demonstravit. Quo viso, ille statim amens effectus, in illo miserando statu per dimidium annum permansit, donec tandem per preces fratrum pristinae redditus est sanitati. At ille ut alter Pharao in malitia et duritia perseverans, in nullo sese emendare voluit. Quod ceteri cernentes, per licentiam generalis capituli eum ab ordine expellere compulsi sunt.

Alius etiam ibidem fuit monachus, nomine Nicholaus Rawlyns, nimium tepidae conversationis, cui etiam molestum erat in ecclesia cum ceteris permanere, qui etiam crebro apostatare praemeditabatur. Is quodam tempore ad vesperas vadens, tanta percussus est caecitate, ut ostium ecclesiae invenire non potuerit, cum tamen unum pedem super limen eiusdem posuisset; sed palpando ipsum circuibat. * Qui ad cellam reductus, statim visum recepit. Iste idem alio * f. 7ra tempore in celebratione constitutus, tanto terrore ac tremore percussus est, ut procedere non potuerit, sed compulsus fuit et vestimenta sacerdotalia exuere et incohata deserere.

17. Similiter et alius monachus fuit consimilis teporis ac conversationis, Henricus nomine. Qui quodam tempore in celebratione missae conventualis constitutus et progressus usque ad epistulam, subito tam horribili est tremore percussus, ut mox ab altari currens, indumenta sacerdotalia exueret et coepta desereret.

[1] *Postea add. in marg.*

Fuit etiam et alter quidam monachus, Iohannes Darly nomine, admodum querulosus et diversis malis praegravatus tentationibus ac phantasmatibus. Qui quadam die murmuravit super cibo sibi in prandio ministrato, eo quod oculis et appetitui suo minus placebat, dicens inter cetera quod bufones comedere maluisset quam illius speciei pisces, *pladys* in nostra lingua flandrica vocatos. Mira res, iustus Dominus non defraudavit eum a desiderio suo. Tantam enim
* f. 7rb bufonum copiam eidem * attulit, ut cumulatim pavimentum cellae ipsius undique replerent, ita ut nullus ibidem esset locus ab eisdem vacuus, ita ut comedentis mensam ascenderent, atque in ipsum discum resilirent. Sed et lectum dormientis ascendebant et occupabant, et quocumque se vertebat, ipsum per turmas insequebantur. Si quando eos in ignem deiciebat, illaesi resiliebant. Et quod amplius mirandum erat, quo plures interficiebat, eo amplius eorum numerus accrescebat. Hanc autem tam abominabilem pestem aut plagam continuo in cella perpessus est per integrum mensem, nec ullo medio ab eadem liberari potuit. Semel autem unum bufonem tenella apprehensum in igne torrere voluit; sed tantus ex eo fetor exhalavit, ut a coepto desistere compulsus sit, et praetereuntes et a longe constituti eundem fetorem sentirent. Sicque miser ille tam horrendo est divinae ultionis flagello castigatus, sed non emendatus. Sed misericors Deus, cui proprium est misereri et parcere, post exactum mensem in tali flagello cellam ipsius ab huiusmodi animalium infestatione
* f. 7va reddidit liberam; sed in * hortulo cellae ipsius permanserunt per spatium trium mensium, et sic demum ab eisdem liberatus est.

18. Contigit etiam eidem fratri et aliud quiddam simile. Quodam enim tempore idem frater diversis praegravatus phantasmatibus, muro hortuli sui cogitabundus innitebatur. Et ecce ingens prorupit e muro colubrorum multitudo, quae in caput et scapulas stantis cumulatim decidit. Sed ab iis exterritus miser aufugit. Nec tantis ac talibus castigationibus emendatus, postmodum ab ordine apostatavit, et in apostasia mortuus est. Et sic patet quod haec omnia expertus est non ad suam utilitatem et salutem, sed ad nostram eruditionem et cautelam, ne in idipsum incideremus teporis ac negligentiae vitium. Sed haec de huiusmodi dicta sufficiant. Nunc libet ad incohatae historiae seriem prosequendam stilum retorquere.

19. Anno igitur nostram miserandam calamitatem praecedente (1), anno scilicet Domini 1533, diversa prodigia praemonstrata fuere hanc eandem calamitatem designantia. Visus est imprimis cometa terribi-
* f. 7vb lis radios in * nostram domum plene et aperte extendere atque tam terribiliter scintillare ac coruscare, ut cernentibus horrorem incute-

(1) Cfr. *Anal. Boll.*, t. VI, p. 36, n° 2.

ret. Eodem etiam anno venerabilis pater noster prior post secundum nocturnum ecclesiam egrediens et cemiterium intrans, vidit in aere sphaeram sanguineam mirae magnitudinis coruscantem. Qua visa, nimio terrore perculsus cecidit in terram, Dominum deprecans in bonum monstra converti. Eandem sphaeram vidi, et alter frater post matutinas in hortulo cellae consistens. Ipso etiam anno duo cunei infinitae multitudinis muscarum saepta nostrae domus occuparunt. In quorum uno muscae fuere nigerrimae atque deformes, similes illis quae gignuntur e fimo iumentorum; in altero vero cuneo muscae erant diversorum colorum et oblongae, similes illis quae volitant in arundinetis. Quae quidem omnia signa et prodigia imminentem nostrae domni praesignabant calamitatem. Sed omnes instantissima prece clementissimum Dominum deprecabantur propitium fore.

Igitur cum domus nostra Salutationis beatae Mariae * iuxta Londonias olim inclita in omni pace habitaretur, legesque monasticae observantiae optime custodirentur propter religiosissimi patris nostri prioris Iohannis Hougthon singularem devotionem, pietatem, optimam conversationem ac pervigilem curam circa sibi commissos, atque etiam oboedientissimorum filiorum paratissimam ad ea, quae Dei et ordinis erant, voluntatem, contigit... * f. 8ra

Quae sequuntur iterum conferri queunt cum textu edito Anal. Boll., *t. VI, inde a pag. 37, lin. 17.*

Pag. 37, l. 18, his = eorum quieti, paci, charitati ac sanctitati *cod.* — *l. 19,* suo regno = r. s. — *l. 21,* sedecim = sexdecim. — *l. 26,* regis = regii. — *l. 27,* domum = nostram *add. cod.* — *l. 27-8,* Salut. b. M. j. L. *om. cod.* — *l. 28-9,* (venerab. — Hougthon) = patrem nostrum priorem *cod.*

Pag. 38, l. 5, Mydelmore = Midelmore. — *l. 6,* eiusdem domus = domus nostrae *cod.* — *l. 19,* sic non = n. s. *cod. [fol. 8v, col. 1].* — *l. 21,* regis = regii *cod.* — *l. 28,* prioris Ioa. H. *om. cod.* — *l. 29,* (in-omnes) = omnes in verba regis *cod.* — *l. 34,* uti = ut *cod. [col. 2].* — *l. 37,* principibus in q. = homine in quo *cod.*

Pag. 39, l. 3, suos = eius. — *l. 11,* Ioa. H. *om. cod.* — *l. 35-6,* priorem Ioh. H. *om. cod. [fol. 9r, col. 2].*

Pag. 40, l. 1, nos hic = hic nos. — *l. 3,* vos *om. cod.* — *l. 7,* et delictis *om. cod.* — *l. 8,* aut = et *cod.* — *l. 15,* prioris *om. cod. [fol. 9v, col. 1].* — *l. 17,* quis *add. postea in marg. cod.* — *l. 24,* noster prior Io. H. = prior *cod.*

Pag. 40, l. 25, et *om. cod.* — *l. 28,* interius = plurimum *add. cod.* — *l. 29,* quod = quam *cod.* — *l. 33,* solum = ii *add. cod. [col. 2].*

Pag. 41, l. 3, nominis *om. cod.* — *l. 4,* meae est = e. m. *cod.* — *l. 10,* Sheene = Shene *cod.* — *l. 14,* Crumvell = Crumwell. — *l. 15,* iram r. = r. i. *[fol. 10r, col. 1].* — *l. 27* (caput e, a.) = e. a. c. *cod.* — *l. 29,* in *om. cod.*

Pag. 42, *l.* 3, doceret = docet *cod.* [*col.* 2]. — *l.* 3, his = iis. — *l.* 5-6, requisisti = requisiti *cod.* — *l.* 7, atque = ac. — *l.* 27, hac = itaque *add. cod.* [*fol.* 10ᵛ, *col.* 1]. — *l.* 32, sunt = sint *cod.* — *l.* 37, een h. d. = d. e. h. *cod.* [*col.* 2].

Pag. 43, *l.* 2, Londoniensem = tracti *add. cod.*; — et = sic *add. cod.* *l.* 3, Syburne tracti = Tiburne *cod.* — *l.* 10 (Anglicanae — Houghton) *om. cod.* — *l.* 11, est *postea add. in cod.* — *l.* 12, sibi = ei. — *l.* 17, His = iis [*fol.* 11ʳ, *col.* 1]; — sub patibulo = ad patibulum. — *l.* 32, his = iis. — *l.* 33, Ps. *om. cod.* — *l.* 35, Substracta = Subtracta [*col.* 2].

Pag. 44, *l.* 1, paulum = paululum. — *l.* 3, extractis = abstractis; — asserem = praedictam cratem vimineam. — *l.* 4, nefarius = nefarias. — *l.* 14, cum = de. — *l.* 21, sed et = sed. *cod.* [*fol.* 11ᵛ, *col.* 1]. — *l.* 22 (et — Ecclesiae) *om. cod.* — *l.* 27, membra = praecisa *add. cod.* — *l.* 30 (prioris Ioa. H.) = *om. cod.* — *l.* 37 (prior Ioa. H.) = *om. cod.*

Pag. 45, *l.* 1 (et socios eius) = *om. cod.*; — eorum = eius [*col.* 2]. — *l.* 10 (priorem cum sociis) = cum fratribus *cod.* — *l.* 19, his = iis *cod.* [*fol.* 12ʳ, *col.* 1]. — *l.* 26, Mydelmore = Midelmore; — antea = ante. — *l.* 27, Guilelmum = Patrem Guilelmum. — *l.* 36, erant = sunt. — *l.* 37, revelamine = relevamine [*col.* 2].

Pag. 46, *l.* 2-3 (fuere — super) = fuerunt singillatim concilio, ubi de *cod.* — *l.* 4 (et s. e.) = cum sociis. — *l.* 6, et = ac *cod.* — *l.* 11, Iesus = *add. cod.*: ad Patrem ascensurus. — *l.* 12, his itaque = iis ita *cod.* — *l.* 14 (prior — suis) = *om. cod.* — *l.* 17, et = ac *cod.* — *l.* 22, sanctorum = *add. cod.* patrum [*fol.* 12ᵛ, *col.* 1]. — *l.* 27, aut = et. — *l.* 29, his — iis. — *l.* 32, et = ac. — *l.* 33, fratres = conventum. — *l.* 34, fratribus = conventui. — *l.* 36, tribuebant = fratribus dabant [*posterior vox post corr.*].

Pag. 47, *l.* 2, poterant = potuerunt. — *l.* 3, scilicet = videlicet. — *l.* 19, fratribus = *om. cod.* [*fol.* 13ʳ, *col.* 1]. — *l.* 2 -2, civit. Lond. = *om. cod.* — *l.* 27 (l. et i.) = i. et l. — *l.* 30, incantantium = incantantis. — *l.* 35, potuerimus = *add. cod.* propter tardum eorum digressum.

Pag. 48, *l.* 4, in = *add. cod.* omnibus [*col.* 2]. — *l.* 10, regis = *lineae postea in cod. suprascriptum.* — *l.* 15, (prior Ion. H.) = *om. cod.* — *l.* 22-3, potuissent = possent. — *l.* 23, fratres *om. cod.* [*fol.* 13ᵛ, *col.* 1]. — *l.* 24, hac = *add. cod.* sola. — *l.* 25, potuissent = possent. — *l.* 34, prioris *om. cod.*

Pag. 49, *l.* 3, acquievere = acquieverunt. — *l.* 20, et = ac [*fol.* 14ʳ, *col.* 1]. — *l.* 28, diaconus = *add. cod.* vocatus. — *l.* 29, Scryven = Scriven. — *l.* 31 (Acta sunt haec) = *om. cod.* — *l.* 35. *Post verba* migraverunt ad Dominum, *in. cod. signum interposuit et sequentia in margine inferiore addidit altera manus, sed coaeva* : Primus eorum, nimirum

Gwilielmus Grenewode obiit sexto die iunii. Secundus vero, scilicet Ioannes Davy diaconus, octavo die iunii. Tertius, Robertus Salte, conversus, IX° iunii. Quartus, Walterus Peerson conversus, obiit X° iunii. Quintus, Thomas Grenę sacerdos, eodem die. Sextus Thomas Scriven conversus XV° iunii. Septimus, Thomas Redijng conversus, XVI° iunii. Octavus, Ricardus Beere sacerdos, IX° die augusti. Nonus vero, qui fuit Thomas Iohnson, obiit XX° die septembris fuitque sacerdos. *Quam notam ad finem tractatus repetiit tertia eiusdem aetatis manus.*

Pag. 50, l. 4, affecerunt = *add. cod., sed in margine :* licet ipse non fecit *[fol. 14r, col. 2]. — l. 5,* ac = et. — *l. 7,* primo = *add. cod.* quarto die novembris. — *l. 8,* apud = circa. — *l. 16,* desidarenter = desideranter. — *l. 20,* Walwerk = Walwercke. — *l. 27,* nostrae *om. cod. [fol. 14v, col. 1]. — l. 31,* sacerdotes duodecim = d. s. — *l. 37,* recitanda = *add. codd.* in eadem domo.

Pag. 51, l. 5 (Et haec — gratias) *in cod. om. et ita pergitur :*

20. Sed in hac mutatione (an dexterae Excelsi, novit Altissimus) quid acciderit, * memoriae tradere dignum existimo. Cum enim ope- * f. 14vb
rarii pro aedificiorum congruitate quaedam everterent atque nova exstruerent ad novi possessoris beneplacitum, contigit eos pro novis iaciendis fundamentis cemiterium fodere, et casu reppererunt corpus venerabilis patris Iohannis Batmanson, olim prioris praefatae domus nostrae, et principalis visitatoris anglicanae provinciae, ab annis circiter sexdecim tumulatum, cum omnibus indumentis adhuc integrum, quod plane singulare et contra naturae cursum esse constat. Sed id quo divino [1] privilegio aut munere actum sit, nobis manet incognitum. Ipsi autem operarii [2] reverentiam corpori exhibentes, in alio loco recondiderunt.

De gloria autem praescriptorum patrum nostrorum licet dubitare non liceat, quia cum eos pro iustitia passos constat (cui ex debito divinae promissionis debetur regnum caelorum), eos in eodem sublimatos fore certissimum est. Ad confutandam tamen aemulorum perfidiam libet hic quasdam inserere revelationes de eorum gloria factas.

21. * Erant itaque in nostra domo Londoniensi duo fratres, intimae * f. 15ra
dilectionis vinculis connexi. Quorum unus, qui Robertus Raby vocabatur, statim post mortem praescriptorum sanctorum patrum nostrorum gravem incidit infirmitatem, de qua et mortuus est. Quem alter Iohannes nomine aegrotantem visitans inter cetera obnixe deprecatus est, quatenus, si Deo placeret, post mortem reversus sibi

[1] *Prius sequebatur vox* munere, *nunc rubro colore prorsus obducta.* — [2] *Add. postea in vacuo spatiolo.*

indicare dignaretur statum praescriptorum patrum nostrorum. At ille: *Libenter*, inquit, *faciam, si divinae placuerit bonitati.* Post haec, ingravescente infirmitate, appositus est isdem frater ad patres suos. Et ecce post quintum ab obitu eius diem apparuit isdem frater defunctus alteri mane in cella sua deambulanti, in veste candida. Requisitus quisnam esset, *Sum*, inquit ille, *frater tuus nuper defunctus; petitioni tuae satisfacturus adveni.* Interrogatus autem super statu suo et patrum nostrorum ait: *Ego quidem sum in caelesti gloria, sed longe inferiore quam patres nostri. Illi enim in magna sunt gloria*
* f. 15rb *constituti et corona martyrii decorati. Et principatum in * iis obtinet pater noster prior, prae ceteris singulari corona adornatus.* Et iis dictis, disparuit. Haec autem visio cum ad aures consiliariorum regis advenisset, accersito fratre cui facta fuerat, post multas inquisitiones et exprobrationes eidem factas, sub grandi interminatione comminati sunt ei, ne cuiquam revelata innotesceret.

22. Fuit item et alter frater, Richardus Crostes nomine, in domo sanctae Annae nostri ordinis Carthusiensis iuxta civitatem Coventriae, qui pessimis praegravatus tentationibus, aquis sese praefocare proposuit. Ad quod perficiendum quadam nocte exivit cellam, et fossam adiit in horto conventuali sitam. Ad quam dum pervenisset, sese mox immergere voluit; sed nequivit divinitus praepeditus. Et in hac iniqua voluntate constitutus per duas horas praedictam fossam circuibat; saepius propositum implere tentans, sed implere non praevalens. Cumque tempore matutinarum idem frater ad divina non occurreret, ab infirmario requisitus, in cella non est inventus; quod ille mox
* f. 15va priori innotuit. Qui * adiunctis sibi quibusdam aliis fratribus, sacrista scilicet Iohanne Todde et quodam converso Christoforo nomine, cellam absentis adiit. Quo non invento, undique prospicientes vident eminus scalam muro hortuli adhaerentem, et suspicati sunt omnes per illam eum fugam inisse. Unus autem, scilicet frater Christoforus, nutu Dei eandem ascendens vidit circa praedictam fossam praefatum fratrem obambulantem et saepius sese immergere nitentem, sed frustra, quia ingens lumen inter fratrem et aquam medium se ingerens conatum praepediebat. In quo lumine vidit idem frater et etiam prior illius domus, Iohannes Bowcharde nomine, ad idem spectaculum contuendum advocatus, omnes sanctos patres nostros in hac persecutione peremptos. Quod illi cernentes, mox ad fossam cucurrerunt; sed, ipsis appropinquantibus, lumen et visio disparuit. Comprehensum autem fratrem admodum tremefactum in cellam deducentes, interrogaverunt eum quidnam ibidem eo tempore facere
* f. 15vb disponebat. *Meipsum*, inquit, *submergere saepius volui, sed * nequivi, quibusdam me retinentibus, quos tamen ipse videre non potui.* Ab illo autem tempore idem frater ab omni tentatione liberatus, deinceps

pacifice conversatus est. Haec a priori praefatae domus quibusdam fratribus domus nostrae narrata cognovimus. Quae et acta sunt statim post mortem praescriptorum sanctorum patrum nostrorum.

23. Est etiam praeterea considerandum, quod paene omnes, qui praecipui fuere in persecutione ac condemnatione patrum nostrorum, mala morte vitam finierunt. Imprimis nequam vicarius regis, qui in iis omnibus principalis actor exstitit, convictus de haeresi et etiam de crimine laesae maiestatis, quod falso patribus nostris obicere conatus est, capitali sententia interiit.

Item illi duo saeculares, qui domus nostrae rectores constituti fuerant et conventum nimium inhumane tractaverant, paulo post ad extremam paupertatem ac miseriam devenientes, infeliciter vitam finierunt.

Item prima mulier, quae * ausu temerario saepta domus nostrae introire praesumpsit, infra quinque dies postea misere vitam finiit. * f. 16ra

Haec sunt, patres venerabiles, quae ipse in provincia anglicana acta vidi et audivi et verissima esse cognovi; quia pro maiore parte omnibus interfui; quae etiam citius, si licuisset, evulgassem. Sed principum terror me hactenus a proposito refrenavit.

Benedictus Deus in saecula. Amen.

Sequitur locus penitus erasus, nempe octo lineae.

SANCTI APOLLONII ROMANI

ACTA GRAECA

EX CODICE PARISINO GRAECO 1219

Antecessoribus nostris de S. Apollonio acturis (1), praeter ieiunas nimis ab Eusebio (2) Hieronymoque (3) traditas commentationes, nihil praesto fuit. Praesertim martyrii Acta deerant, tunc temporis in bibliothecarum latebris sepulta, quibusque se carere conquesti sunt quotquot in huius sancti fata inquisiverunt (4). Nuperrime vero Acta ista haud unius moverunt ingenii aciem, ex quo vir cl. F. C. Conybeare ea, anno 1874 Venetiis a Patribus Mekhitaristis in lingua armenia iamdudum vulgata (5), anno 1893 in anglicum idioma translata publici iuris fecit (6).

Etenim vix uno mense anglice vulgata fuerant Apollonii Acta, cum Berolinensis Academiae professor Ad. Harnack eruditissime de iis disserebat, simulque eorum versionem germanicam a viro cl. Burchardi confectam proponebat (7). Sub idem fere tempus eandem operam assumpsit sibi R. Seeberg (8), et exinde idem documentum, in iis praecipue quae ad ius romanum pertinent, penitus scrutati sunt eruditi viri Th. Mommsen (9), A. Hilgenfeld (10) et E. G. Hardy (11).

(1) *Act. SS.*, Aprilis t. II, p. 539. — (2) *Hist. eccl.*, V, 21. — (3) *De viris illustribus*, 42. — (4) Cfr. C. P. Caspari, *Quellen zur Geschichte des Taufsymbols*, t. III, p. 413-16, Christiania, 1875; B. Aubé, *Les Chrétiens dans l'empire romain de la fin des Antonins au milieu du III[e] siècle*, 2[e] édit., p. 32-40, Paris, 1881; Franz Görres, *Das Christenthum und der römische Staat zur Zeit des Kaisers Commodus*, Jahrbücher für prot. Theol., t. X, 1884, p. 399-410; Albrecht Wirth, *Quaestiones Severianae*, 1888, p. 48 sqq.; K. I. Neumann, *Der römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diocletian*, t. I, p. 79-82, Leipzig, 1890. — (5) In collectione Vitarum sanctorum, t. I, p. 138-143. Hanc versionem armeniam referunt editores ad V saeculum. — (6) In periodico *The Guardian*, num. 18 Iunii 1893, et denuo in opere suo *The Apology and Acts of Apollonius and other Monuments of early Christianity*, p. 29-48, London, 1894. — (7) *Der Prozess des Christen Apollonius*, Sitzungsberichte der kön. preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin, 1893, p. 721-746. — (8) *Das Martyrium des Apollonius*, Neue kirchliche Zeitschrift, t. IV, 1893, p. 836-872. — (9) *Der Prozess des Christen Apollonius unter Commodus*, Sitzungsberichte der kön. preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin, 1894, p. 497-503. — (10) *Apollonius von Rom*, Zeitschrift f. wiss. Theologie, t. XXXVII, 1894, p. 58-91. — (11) *Christianity and the Roman Government*, London, 1894, p. 200-208.

In tanta eruditorum virorum copia nemo fuit quem fugeret Apollonii Acta, quorum armenius textus detectus est, ex graeco sermone fuisse expressa. Idque firmiter asseverare fas erat, cum Eusebius testetur se Apollonii martyrium in sua collectione rettulisse: Τούτου μὲν οὖν τὰς ἐπὶ τοῦ δικαστοῦ φωνὰς καὶ τὰς ἀποκρίσεις ἃς πρὸς πεῦσιν πεποίητο τοῦ Περεννίου πᾶσάν τε τὴν πρὸς τὴν σύγκλητον, ἀπολογίαν ὅτῳ διαγνῶναι φίλον, ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων μαρτυρίων συναχθείσης ἡμῖν ἀναγραφῆς εἴσεται (1).

Iam vero perlustrantibus nobis Parisinae bibliothecae codices graecos contigit in membraneo libro signato num. 1219, fol. 58ᵛ, hunc titulum legere Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Ἀπολλὼ τοῦ καὶ Σακκέα, et inquirentibus quisnam esset iste *Apollo Sacceas*, deprehendere latitantem sub hac deturpata nominis facie Apollonium Romanum. Collatione enim facta cum versionibus anglica et germanica recens vulgatis, statim et luculenter apparuit prae manibus esse eiusdem Passionis textum graecum.

Sane quaeret ilico aliquis utrum hic sit textus primigenius, ille nimirum quem ex Eusebiana collectione erutum credere licet. Cui respondendum est tale decus libello Parisiis reperto nequaquam concedi posse. Ut legenti patebit, plura in eo exstant quae sequioris aevi compilatoris operam arguunt, plura praeterea quibus a textu, quo usus est Armenius scriptor, prorsus discrepat. Differunt nimirum prologus et clausula. Armenius vel a primo interrogationis iuridicae exordio Apollonium coram senatu adducit, dum, si Graeco fidendum foret, senatores non nisi altera vice Apollonio verba facienti adstiterunt, et quidem cum aliis καὶ σοφῶν μεγάλων (n. 11). Alia sunt minoris momenti omissa in textu graeco, alia amplificata, quae Armenius scriptor expressit tantum aut breviori verborum ambitu protulit. Quae omnia efficiunt, nostra saltem sententia, libellum graecum, quem edituri sumus, illo deteriorem ex quo Armenius suam narrationem hausit.

Quicquid tamen est de textus istius defectibus, illum prelo subicere atque eorum curis tradere quos novum studium in S. Apollonii historiam convertit, non sumus cunctati, nec exspectandum putavimus feliciorem casum quo in bibliothecis, quarum scrinia hucusque non fuerunt excussa, vel ipse textus Eusebianus vel aliquis isto melior, quem nacti sumus, reperiatur.

In librorum collectionibus quarum catalogi descripti sunt, nullibi praeterquam Parisiis invenitur Apollonii martyris Passio graece conscripta, aut saltem hoc ex rubricis non licet conicere, nec ex ipsis Parisinae bibliothecae catalogis, nisi codicem evolvisset, de Apollonio senatore Romano id cogitasset quispiam, cum omnes in codice 1219, fol. 58ᵛ-64ʳ, dicant inesse *Martyrium Sancti Apollinis apostoli* (2), nec perspicue magis idem indicet Cangius, cum inter documenta inedita, quibus usus est ad conficiendum *Glossarium*, referat *S. Apollo martyrium* (3).

(1) *Hist. eccles.*, V, 21. — (2) *Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae regiae*, t. II, p. 257, Parisiis, 1740; Omont, *Inventaire sommaire des manuscrits grecs de la bibliothèque nationale*, t. I, p. 270, Paris, 1886. — (3) In altera appendice ad *Glossarium*, p. 40.

Codex Parisinus signatus n. 1219, olim Colbertinus 4137, ex quo S. Apollonii Acta vulgaturi sumus, ille est unde vir cl. Hermannus Usener aliquot ante annos S. Timothei Acta eruit (1), quemque saeculo XI aut XII exscriptum fuisse censet Academiae Bonnensis professor. Ut patebit ex multis correctionibus quas proponere necesse erit, librarius huius codicis munere suo neglegentius functus est, aut potius ex eis est quos iam invasit vitiata Byzantinorum scribendi ratio a communi lingua tam absona.

De ipso Apollonii martyrio plura disserere non lubet, cum hanc materiem quasi exhauserint viri docti quorum lucubrationes supra memoravimus. Quae ad textum elucidandum prorsus necessaria sunt in notis suggerenda curabimus, et quo facilius conferri valeat cum versionibus anglica et germanica, hanc servavimus paragraphorum distinctionem quae a Conybeare et Harnack invecta est.

[Fol. 58v.] Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Ἀπολλώ (2), τοῦ καὶ Σακκέα (3). Κύριε, εὐλόγησον.

Ἐπὶ Κομόδου βασιλέως (4) γεναμένου διωγμοῦ κατὰ τῶν χριστιανῶν, Περέννιός τις (5) ἦν ἀνθύπατος τῆς Ἀσίας. Ἀπολλὼς δὲ ὁ ἀπόστολος, ἀνὴρ ὢν εὐλαβής, Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει (6), φοβούμενος τὸν Κύριον, συλληφθείς, προσήχθη.

1. Οὗ προσαχθέντος, Περέννιος ὁ ἀνθύπατος [fol. 59] εἶπεν· Ἀπολλώ, χριστιανὸς εἶ;

2. Ἀπολλὼς εἶπεν (7)· Ναί, χριστιανός εἰμι· καὶ διὰ τοῦτο τὸν Θεὸν

(1) *Acta S. Timothei*, Bonnae, 1877. — (2) Hanc nominis formam desumpsit textus nostri compilator ex *Act. Apost.*, XVIII, 24; XIX, 19; 1 *Cor.*, I, 12; III, 5, 6, 22; IV, 6; XVI, 12; *Tit.*, III, 13; quae scribitur in casibus obliquis tum Ἀπολλῶ, tum Ἀπολλώ; cfr. Pape-Benseler, *Wörterbuch der griechischen Eigennamen*, 3a ed., t. I, p. 111, Braunschweig, 1884. Apollonius ab auctore nuncupatur *apostolus*, cum ab eo videatur idem fieri cum Apolline, discipulo S. Pauli; codex siquidem signatus num. 1219 plures Vitas *apostolorum* continet ut Barnabae, Aquilae, Philippi, Timothei. — (3) Quid sit Σακκέας hic et infra numm. 4, 24 et 47, nequeo dirimere. — (4) Imperavit Commodus ab anno 180 ad 192. Sed quoniam Perennis anno 185 munere suo praefecti praetorio abiectus est, et ex alia parte nonnisi anno 183 hanc praefecturam solus exercuit, inter annos 183 et 185 martyrium subiit Apollonius. Cfr. de diversa horum temporum notitia Zürcher in *Büdinger's Untersuchungen zur röm. Kaisergeschichte*, t. I, p. 241; Hirschfeld, *Untersuchungen auf dem Gebiet der röm. Verwaltungsgeschichte*, p. 228. — (5) Perennis (non vero *Perennius*), sub Commodo ad annum usque 185 fuit Romae praefectus praetorio. Nullibi alias nuncupatur praefectus Asiae, quod sane ab auctore confictum videtur. — (6) Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει : falsa haec de Apollonii ortu notitia deprompta est ex *Act. Apost.*, XVIII, 24. — (7) Ab his primum verbis consonat textus graecus cum versione armenia.

τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς (1) σέβομαι καὶ φοβοῦμαι.

3. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Μετανόησον, πεισθείς [1] μοι (2), Ἀπολλώ, καὶ ὄμοσον [2] τὴν τύχην τοῦ κυρίου ἡμῶν Κομόδου τοῦ αὐτοκράτορος.

4. Ἀπολλὼς δέ, ὁ καὶ Σακκέας, εἶπεν· Ἄκουσόν μου νουνεχῶς, Περέννιε, περὶ σεμνῆς καὶ νομίμου ἀπολογίας μέλλοντος ποιεῖσθαί σοι τὸν λόγον (3). Ὁ μετανοῶν ἀπὸ δικαίων καὶ ἀγαθῶν καὶ θαυμασίων ἐντολῶν τοῦ Θεοῦ ἀθέμιτος [3] καὶ ἀνόσιος καὶ ἀληθῶς ἄθεός ἐστιν· ὁ δὲ μετανοῶν ἀπὸ πάσης ἀδικίας καὶ ἀνομίας καὶ εἰδωλολατρείας καὶ διαλογισμῶν πονηρῶν, καὶ φεύγων τὰς ἀρχὰς τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ ὅλως μὴ ἐπιστρέφων ἐπ' αὐτά, ὁ τοιοῦτος δίκαιός ἐστιν (4).

5. Καὶ πίστευσον ἡμῖν, Περέννιε, ἐξ αὐτῆς τῆς ἀπολογίας, ὅτι τὰς σεμνοπρεπεῖς καὶ λαμπρὰς ἐντολὰς μεμαθήκαμεν ἀπὸ τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ, τοῦ γιγνώσκοντος πάντας τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων.

6. Προσέτι δὲ καὶ μηδὲ ὅλως ὀμνύναι (5), ἀλλ' ἐν πᾶσιν ἀληθεύειν ὑπ' αὐτοῦ προστετάγμεθα· ὅρκος γὰρ μέγας ἐστὶν ἡ ἐν τῷ ναὶ ἀλήθεια, καὶ [fol. 59v] διὰ τοῦτο χριστιανῷ ὀμνύναι αἰσχρόν [4]· ἐκ γὰρ ψεύδους ἀπιστία, καὶ δι' ἀπιστίαν πάλιν ὅρκος. Βούλει δὲ ὀμνύναι με ὅτι καὶ βασιλέα τιμῶμεν καὶ ὑπὲρ τοῦ κράτους αὐτοῦ εὐχόμεθα· ἡδέως ἂν ὀμόσαιμι ἀληθεύων τὸν ὄντως Θεὸν τὸν ὄντα, τὸν πρὸ αἰώνων, ὃν χεῖρες οὐκ ἐποίησαν ἀνθρώπων, τοὐναντίον δὲ αὐτὸς ἄνθρωπον ἀνθρώπων ἔταξεν βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς.

7. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Ὃ λέγω σοι ποίησον καὶ μετανόησον, Ἀπολλώ, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ τῇ εἰκόνι [5] τοῦ αὐτοκράτορος Κομόδου.

8. Ὁ δὲ Ἀπολλὼς μειδιάσας [6] εἶπεν· Περὶ μετανοίας καὶ ὅρκου, Περέννιε, δέδωκά σοι τὴν ἀπολογίαν (6), περὶ δὲ θυσίας ἄκουσον· θυσίαν ἀναίμακτον καὶ καθαρὰν ἀναπέμπω κἀγὼ καὶ πάντες χριστιανοὶ

[1] *cod.* πισθείς. — [2] *cod.* ὤμοσον. — [3] *cod.* ἀθέμητος. — [4] *cod.* ἐσχρόν. — [5] *cod.* εἰκόνη. — [6] *cod.* μηδιάσας.

(1) Καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς (cfr. *Exod.*, XX. 11) omittit Armenius, qui addit καὶ ματαίοις εἰδώλοις οὐ θύω. — (2) In textu armenio pro πεισθείς μοι legitur: *a tali sententia, propter imperatoris mandatum.* — (3) Σεμνῆς καὶ νομίμου... μέλλοντος ποιεῖσθαί σοι τὸν λόγον procul dubio sunt scriptoris graeci additamentum; desunt etiam in textu armenio. — (4) Denuo plura addidit Graecus : καὶ θαυμασίων... ἀνόσιος... καὶ ἀνομίας καὶ εἰδωλολατρείας... καὶ φεύγων τὰς ἀρχὰς τῶν ἁμαρτημάτων. — (5) Cfr. *Matth.*, V, 34; *Iac.*, V, 12; Iustin., *Apol.*, I, 16. — (6) Nimirum num. 4-6.

τῷ παντοκράτορι Θεῷ, τῷ κυριεύοντι οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ πάσης πνοῆς, τὴν δι' εὐχῶν μάλιστα καὶ λογικῶν εἰκόνων τῶν τεταγμένων ὑπὸ τῆς προνοίας τοῦ Θεοῦ βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς.

9. Διὸ καθ' ἡμέραν κατὰ πρόσταγμα δικαίας ἐντολῆς εὐχόμεθα τῷ κατοικοῦντι ἐν οὐρανοῖς Θεῷ ὑπὲρ τοῦ βασιλεύοντος ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ Κομόδου, εἰδόντες ἀκριβῶς ὅτι οὐχ ὑπὸ ἄλλου τινός, ἀλλὰ ὑπὸ μόνης τῆς τοῦ ἀνικήτου Θεοῦ βουλῆς, τοῦ τὰ πάντα ἐμπε[fol. 60]ριέχοντος[1], ὡς προεῖπον, βασιλεύει[2] ἐπὶ τῆς γῆς.

10. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Δίδωμί σοι ἡμέραν, Ἀπολλώ, ἵνα συμβουλεύσῃς σεαυτῷ περὶ τῆς ζωῆς σου.

11. Καὶ μεθ' ἡμέρας τρεῖς ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀχθῆναι· ἦν δὲ πολὺ πλῆθος συγκλητικῶν καὶ βουλευτικῶν καὶ σοφῶν μεγάλων. Καὶ κελεύσας αὐτὸν κληθῆναι, εἶπεν· Ἀναγνωσθήτω τὰ ἄκτα (1) Ἀπολλώ. Καὶ ἀναγνωσθέντων αὐτῶν (2), Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Τί συνεβούλευσας σεαυτῷ[3], Ἀπολλώ;

12. Ὁ δὲ Ἀπολλὼς εἶπεν· Μένειν[4] με θεοσεβῆ, καθὼς ἐν τοῖς ἄκτοις λογισάμενος ἡμᾶς ὥρισας.

13. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Διὰ τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου συμβουλεύω σοι μετανοῆσαι, καὶ σέβειν καὶ προσκυνεῖν τοὺς θεούς, οὓς πάντες ἄνθρωποι σέβομεν[5] καὶ προσκυνοῦμεν, καὶ ζῆν σε μεθ' ἡμῶν (3).

14. Ἀπολλὼς εἶπεν· Ἐγὼ μὲν τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου (4) γιγνώσκω, Περέννιε· ἐγενόμην δὲ θεοσεβὴς ἵνα μὴ σέβωμαι[6] εἴδωλα χειροποίητα. Διὸ οὐ μὴ προσκυνήσω χρυσόν, ἢ ἄργυρον, ἢ χαλκόν, ἢ σίδηρον, ἢ ξυλίνους καὶ λιθίνους θεοὺς ψευδωνύμους, οἵτινες οὔτε βλέπουσιν[7], οὔτε ἀκούουσιν[8], ὅτι ἔργα τεκτόνων καὶ χρυσοχόων καὶ τορνευτῶν εἰσίν, γλυφαὶ χειρῶν ἀνθρώπων, καὶ οὐ [fol. 60^{v}] κινηθήσονται[9] ἀφ' ἑαυτῶν.

15. Θεῷ δὲ τῷ ἐν οὐρανοῖς λατρεύω καὶ αὐτῷ μόνῳ προσκυνῶ, τῷ πᾶσιν ἀνθρώποις ψυχὴν ζῶσαν ἐμφυσήσαντι καὶ πᾶσιν τὸ ζῆν καθ' ἡμέραν ἐπαντλοῦντι.

[1] *cod.* ἐνπεριέχοντος. — [2] *cod.* βασιλεύειν. — [3] *cod.* ἑαυτῷ. — [4] *cod.* μένην. — [5] *cod.* σέβωμεν. — [6] *cod.* σέβομαι. — [7] *cod.* βλέπωσιν. — [8] *cod.* ἀκούωσιν. — [9] *cod.* κεινηθείσωνται.

(1) Locum istum commemorat Cangius, *Glossarium mediae et infimae graecitatis*, s. v. ἄκτα. De Actis iudicii ante sententiam pronuntiatam videsis E. Le Blant, *Les Actes des martyrs*, 1882, p. 110. — (2) De ista Actorum recitatione tacet versio armenia. — (3) *Potius quam miserum mori. Puto te sententiam senatus non ignorare :* haec addit Armenius. — (4) Armenice : παντοκράτορος Θεοῦ.

16. Οὐ μὴ οὖν ταπεινώσω [1] ἐμαυτόν, Περέννις, οὐδὲ ὑπὸ τὰ χυλλότερα [2] ῥίψω· αἰσχροπρεπὲς γάρ ἐστιν προσκυνεῖν ἢ τὸ ἰσότιμον ἀνθρώπων, ἢ τὸ γοῦν ἔλαττον δαιμόνων. Ἁμαρτάνουσι γὰρ ταπεινότατοι ἄνθρωποι ὅταν προσκυνοῦσι ταῦτα ἃ τῇ ἕξει [3] συνέχεται λίθου ψυχρὸν ἔκπρισμα, καὶ ξύλον ξηρόν, καὶ μέταλλον ἀργόν, καὶ ὀστέα νενεκρωμένα (1)· τίς ὁ λῆρος τῆς ἀπάτης ταύτης;

17. Ὁμοίως λεκάνην (2) Αἰγύπτιοι τὴν παρὰ πολλοῖς καλουμένην ποδονίπταν (3) μετὰ πολλῶν μυσερῶν (4) προσκυνοῦσιν· τίς ὁ λῆρος τῆς ἀπαιδευσίας ταύτης;

18. Ἀθηναῖοι δὲ ἔτι καὶ νῦν βοὸς κράνιον χαλκοῦν σέβουσιν, τύχην Ἀθηναίων αὐτὸ καταφωνοῦντες ὥστε τοῖς ἰδίοις εὔχεσθαι, οὐχ οἷόν τε ἃ μάλιστα τοῖς πεποιθῶσιν αὐτοῖς ζημίαν τῇ ψυχῇ φέρειν δοκεῖ (5).

19. Τί γὰρ διαφέρει ταῦτα πηλοῦ πεφρυγμένου καὶ ὀστράκου θρυπτομένου; Δαιμόνων δὲ ἀγάλμασιν εὔχονται ἃ οὐκ ἀκούουσιν [4] ὥσπερ ἀκούομεν [5], οὐκ ἀπαιτοῦσιν, οὐκ ἀποδίδουσιν. Ὄντως γὰρ αὐτῶν τὸ σχῆμα [fol. 61] ἔψευσται· ὦτα γὰρ ἔχουσιν καὶ οὐκ ἀκούουσιν [6], ὀφθαλμοὺς ἔχουσιν καὶ οὐχ ὁρῶσιν, χεῖρας ἔχουσιν καὶ οὐκ τείνουσιν, πόδας ἔχουσιν καὶ οὐ βαδίζουσιν· τὸ γὰρ σχῆμα τὴν οὐσίαν οὐχ ὑπαλλάττει [7]. Καταγελᾶν δέ μοι δοκεῖ καὶ Σωκράτης Ἀθηναίων τὴν πλάτανον ὀμνύναι (6), ξύλον τὸ ἄγριον (7).

21. Ἄνω πάλιν δεύτερον εἰς οὐρανοὺς ἁμαρτάνουσιν ἄνθρωποι ὅταν προσκυνοῦσιν αὐτοὶ ταῦτα ἃ τῇ φύσει συνέχεται, τὸ κρόμμυον καὶ τὸ σκόροδον, τῶν Πηλουσίων θεός, ἅτινα πάντα εἰς κοιλίαν [8] χωρεῖ καὶ εἰς

[1] *cod.* ταπεινόσω. — [2] *cod.* χυλότερα. — [3] *cod.* ἕξη. — [4] *cod.* ἀκούωσιν. — [5] *cod.* ἀκούωμεν. — [6] *cod.* ἀκούωσιν. — [7] *cod.* ὑπαλάττη. — [8] *cod.* χυλίαν.

(1) Ἃ τῇ ἕξει – νενεκρωμένα omittit Armenius. — (2) Armenius de alia Aegyptiorum superstitione, ea nempe qua colebant cepas, loquitur. — (3) Cfr. *Corp. inscr. gr.*, n. 3071, ubi legitur : λεκάνην εἰς ποτήρια, καὶ ἄλλην ποδανιπτῆρα. Textus nostri locum hunc adducit Cangius, *Gloss. med. et inf. graecc.*, s. v. ποδονίπτα. Utrum pelvim umquam adoraverint Aegyptii, dubitare licet; sed alludit auctor ad multifarias magicae artis praxes, in quibus utebantur pelvi. — (4) Haec μυσαρά vide enuntiata in Apologia Aristidis apud I. Rendel-Harris, *The Apology of Aristides*, Cambridge, 1891, p. 45-46. — (5) In versione armenia narratur hoc bovinum caput positum esse in loco publico iuxta statuas Iovis et Herculis. Graecus noster pro his habet : ὥστε τοῖς ἰδίοις, etc. — (6) Cfr. Tertulliani *Apologetic.* XIV, *P. L.*, t. I, p. 354. — (7) Deest in hoc textu graeco § 20 versionis armeniae; prius tamen etiam in graeca recensione exstitisse suadent verba ἄνω πάλιν δεύτερον et infra ἄνω τρίτον. Praeterea cum apud armenium interpretem Apollonius hominum errores in tres classes dividat, in textu graeco quadripartita est divisio. Animadverte antithesim : ἃ τῇ φύσει... τῇ αἰσθήσει... τῷ λόγῳ συνέχεται.

ὀχετὸν ἐκβάλλεται· ἄνω τρίτον εἰς οὐρανὸν ἁμαρτάνουσιν ἄνθρωποι, ὅταν προσκυνοῦσιν αὐτοὶ ταῦτα ἃ τῇ αἰσθήσει συνέχεται, ἰχθὺν καὶ περιστεράν, Αἰγύπτιοι κύνα καὶ κυνοκέφαλον, κροκόδειλον[1] καὶ βοῦν, ἀσπίδα καὶ λύκον, τῶν ἰδίων ἀπεικόνισμα τρόπων (1).

22. Ἄνω τέταρτον εἰς οὐρανοὺς ἁμαρτάνουσιν ἄνθρωποι ὅταν προσκυνοῦσιν αὐτοὶ ταῦτα ἃ τῷ λόγῳ συνέχεται, ἀνθρώπους, δαίμονας ὄντας τῇ ἐνεργείᾳ· θεοὺς λέγουσιν τοὺς ὄντας τὸ πρὶν ἀνθρώπους, ὡς ἐξελέγχουσιν οἱ παρ' αὐτοὺς μῦθοι· Διόνυσον (2) γάρ φησιν διασπώμενον (3) καὶ Ἡρακλέα ἐπὶ πυρὸς ἁλώμενον ζῶντα (4), τὸν δὲ διαθαπτόμενον[2] ἐν Κρήτῃ (5), οἵσπερ ἀκολούθως συνεζήτειται[3] τὰ ὀνόματα διὰ τοὺς μύθους [fol. 61v] ὧν καὶ αὐτὰ τὰ ὀνόματα γινώσκεται· διὰ τὸ δυσσεβὲς αὐτῶν μάλιστα παραιτοῦμαι.

23. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Ἀπολλώ, τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου ἐστὶν χριστιανοὺς μὴ εἶναι (6).

24. Ἀπολλὼς δὲ ὁ καὶ Σακκέας εἶπεν· Ἀλλ' οὐ δύναται νικηθῆναι τὸ δόγμα τοῦ Θεοῦ ὑπὸ δόγματος ἀνθρωπίνου· ὅσῳ γὰρ τοὺς εἰς αὐτὸν πεποιθότας[4] ἀδίκως ἀποκτένουσιν ἀκρίτως τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας (7), τοσοῦτον μᾶλλον πλῆθος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ μηκύνεται.

25. Γινώσκειν σε δὲ θέλω, Περέννιε, ὅτι καὶ ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἐπὶ συγκλητικοὺς καὶ ἐπὶ τοὺς ἔχοντας ἐξουσίαν πολλὴν καὶ ἐπὶ πλουσίους καὶ πτωχοὺς καὶ ἐλευθέρους καὶ δούλους καὶ μεγάλους καὶ μικροὺς καὶ σοφοὺς καὶ ἰδιώτας ἕνα θάνατον ὥρισεν ὁ Θεὸς ἐπὶ πάντων καὶ δίκην μετὰ θάνατον ἔσεσθαι ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους.

26. Διαφορὰ δέ ἐστιν θανάτου· διὰ τοῦτο οἱ τοῦ καθ' ἡμᾶς Λόγου

[1] *cod.* κροκόδηλον. — [2] *cod.* διανθαπτόμενον. — [3] *cod.* συνεζήτηται. — [4] *cod.* πεποιθώτας.

(1) Cfr. hic enumeratos Aegyptiorum deos cum eorundem serie, qui in Actis S. Ignatii martyris commemorati sunt. Videsis Lightfoot, *The apostolic Fathers*, t. II, sect. 1, p. 506, cum nota 9; et *Apologiam Aristidis*, apud Rendel-Harris, p. 108. — (2) Quae sequuntur usque ad finem paragraphi desunt in textu armenio. et propter vocem φησιν existimo esse a librario insertum commentariolum. — (3) Historiam Dionysii a Titanibus discerpti lege apud Diodorum Siculum, III. 61. Cfr. *Martyrium S. Ignatii*. Lightfoot, *l. c.*, p. 503; *Apolog. Aristidis*, *l. c.*, p. 106. — (4) Cfr. *Martyrium Ignatii*, p. 500, Ἡρακλῆς πυρὶ ἀνήλωται et *Apolog. Aristidis*, *l. c.*, p. 106, εἶτα πυρὶ ἀναλωθῆναι. — (5) Iovem in Creta sepultum contendebant veteres Graeci. Cfr. *Martyr. Ignat.*, p. 499, nota. — (6) Haud semel est haec unica a iudicibus romanis indita causa. ut morte plecterentur christiani. Cfr. e. g. textus bene multos quos congessit Hardy, *Christianity and the Roman Government*, p. 133 sqq. — (7) Prorsus discrepant in hac pericopa textus graecus et armenius, sed apud graecum compilatorem melius se excipiunt sententiae.

μαθηταὶ καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκουσι (1) ταῖς ἡδοναῖς [1], κολάζοντες τὰς ἐπιθυμίας δι' ἐγκρατείας, βουλόμενοι κατὰ τὰς θείας (2) ζῆν ἐντολάς· καὶ πίστευσον ἡμῖν ἀληθῶς, Περέννιε, ὅτι μὴ ψευδόμεθα [2]· ἔστιν γὰρ οὐδ' ἓν μόριον ἡδονῆς ἀκολάστου παρ' ἡμῖν, πᾶσαν δὲ μᾶλλον αἰσχρὰν θέαν ἐξορίζομεν [3] ἐξ ὀφθαλμῶν κολάκων ὅπως ἄτρωτος ἡμῶν (3) διαμείνῃ.

27. [Fol. 62] Τοιαύτῃ δὲ προαιρέσει [4] τοῦ βίου χρώμενοι, ἀνθύπατε, οὐ χαλεπὸν ἡγούμεθα τὸ θνήσκειν [5] διὰ τὸν ὄντως Θεόν· αὐτὸ γὰρ ὅ ἐσμὲν διὰ Θεὸν ἐσμέν, διὰ τοῦτο καὶ πάντα καρτεροῦμεν ἵνα μὴ κακῶς ἀποθάνωμεν.

28. Εἴτε γὰρ ζῶμεν, εἴτε ἀποθνήσκωμεν [6], τοῦ Κυρίου ἐσμέν (4), δύναται [7] δὲ πολλάκις καὶ δυσεντερία καὶ πυρετὸς ἀποκτεῖναι· νομίσω οὖν ὡς ὑφ' ἑνὸς τούτων ἀναιρεῖσθαι.

29. Περέννιος ἀνθύπατος εἶπεν· Τοῦτο κεκρικώς, Ἀπολλώ, ἡδέως ἀποθνήσκεις;

30. Ἀπολλὼς εἶπεν· Ἡδέως μὲν ζῶ, Περέννιε, οὐ μέντοι δεδοικὼς τὸν θάνατον διὰ τὴν πρὸς τὸ ζῆν φιλίαν· οὐδὲν γὰρ ζωῆς τιμιώτερον, ζωῆς δέ, τῆς αἰωνίου ζωῆς, ἥτις ἐστὶν ἀθανασία τῆς ἐν τῷδε τῷ βίῳ καλῶς βεβιωκυίης [8] ψυχῆς.

31. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Οὐκ οἶδα τί λέγεις, οὐδὲ ἐπίσταμαι περὶ ὧν νομικῶς ἀπαγγέλλεις μοι.

32. Ἀπολλὼς εἶπεν· Τί οὖν σοι καὶ συμπαθῶ ἐγώ, οὕτως ἀνοήτῳ ὄντι περὶ τὰ καλὰ τῆς χάριτος· βλεπούσης γὰρ καρδίας ἐστίν, Περέννιε, ὁ λόγος τοῦ Κυρίου ὡς βλεπόντων ὀφθαλμῶν τὸ φῶς, ἐπεὶ (5) οὐδὲν ὠφελεῖ ἄνθρωπος ἀνοήτοις προσφθεγγόμενος, ὡς οὐδὲ τὸ φῶς ἀνατέλλον [9] τυφλοῖς.

33. Κυνικός (6) δέ τις φιλόσοφος εἶπεν· Ἀπολλώ, σεαυτῷ λοιδοροῦ [10], πολὺ γὰρ πεπλάνησαι [11], κἂν δοκεῖς σκοτεινό [fol. 62v] λογος εἶναι.

34. Ἀπολλὼς εἶπεν· Ἐγὼ μεμάθηκα εὔχεσθαι, οὐ λοιδορεῖν· ὁμολογεῖ δὲ ἡ ὑπόκρισις ἡ ἐν σοὶ τὴν ἀβλεψίαν τῆς καρδίας σου, εἰ καὶ

[1] *cod.* ἡδωναῖς. — [2] *cod.* ψευδώμεθα. — [3] *cod.* ἐξωρίζωμεν. — [4] *cod.* προεραίσει. — [5] *cod.* θνήσκην. — [6] *cod.* ἀποθνήσκομεν. — [7] *cod.* δύνατε. — [8] *cod.* βεβιωκύης. — [9] *cod.* ἀνατέλλων. — [10] *cod.* λοδωροῦ. — [11] *cod.* πεπλάνισαι.

(1) Cfr. I *Cor.*, XV, 31; II *Cor.*, IV, 10. — (2) Τὰς θείας ἐντολάς vertit Armenius ac si legisset τὰς θείας γραφάς. — (3) Libenter addiderim hic ἡ ψυχή, quod ceteroqui tradit textus armenius. — (4) *Rom.*, XIV, 8. — (5) Ἐπεὶ οὐδὲν — τυφλοῖς, commentarius forsan in textu graeco additus. — (6) Armenius interpres minime refert hunc philosophum ad cynicos pertinuisse.

προελεύσει εἰς πλῆθος ἀργολογίας· τοῖς γὰρ ἀνοήτοις ἡ ἀλήθεια ὄντως λοιδορία νομιστέα.

35. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Ἴσμεν καὶ ἡμεῖς ὅτι ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ γεννήτωρ καὶ ψυχῆς καὶ σώματός ἐστιν τῶν δικαίων, ὁ λογώσας καὶ διδάξας ὡς φίλον ἐστὶν τῷ Θεῷ (1).

36. Ἀπολλὼς εἶπεν· Οὗτος ὁ σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὡς ἄνθρωπος γενάμενος ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ κατὰ πάντα δίκαιος καὶ πεπληρωμένος θείᾳ σοφίᾳ, φιλανθρώπως ἐδίδαξεν ἡμᾶς τίς ὁ τῶν ὅλων Θεὸς καὶ τί τέλος ἀρετῆς ἐπὶ σεμνὴν πολιτείαν[1] ἁρμόζων πρὸς τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχάς· ὃς διὰ τοῦ παθεῖν ἔπαυσεν τὰς ἀρχὰς τῶν ἁμαρτιῶν.

37. Ἐδίδαξεν γὰρ θυμὸν παύειν[2], ἐπιθυμίαν μετρεῖν, ἡδονὰς[3] κολάζειν, λύπας ἐκκόπτειν, κοινωνικοὺς γίνεσθαι, φιλίαν αὔξειν, κενοδοξίαν καθαίρειν, πρὸς ἄμυναν ἀδικούντων μὴ τρέπεσθαι, διὰ τὸν τῆς δίκης θεσμὸν θανάτου καταφρονεῖν, οὐ διὰ τὸ ἀδικεῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀνέχεσθαι ἀδικουμένους, ἔτι δὲ νόμῳ τῷ ὑπ' αὐτοῦ δοθέντι πείθεσθαι, βασιλέα τιμᾶν (2), Θεὸν σέβειν μόνον ἀθάνατον, ψυχὴν ἀθάνατον πιστεύειν, δίκην μετὰ θάνατον [fol. 63] πεπεῖσθαι, γέρας πόνων ἀρετῆς μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐλπίζειν παρὰ Θεοῦ δοθησομένην τοῖς εὐσεβῶς βιώσασιν.

38. Ταῦτα διδάξας ἡμᾶς ἐνεργῶς καὶ πείσας μετὰ πολλῆς ἀποδείξεως, δόξαν μὲν αὐτὸς ἀρετῆς μεγάλην ἀπηνέγκατο[4]. Ἐφθονήθη δὲ πρὸς τῶν ἀπαιδεύτων, καθὰ καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ διάκονοί τε καὶ φιλόσοφοι[5]· οἱ γὰρ δίκαιοι τοῖς ἀδίκοις ἄχρηστοι[6].

39. Καθ' ἃ καὶ λόγος τις ἄφρονας ἀδίκως εἰπεῖν· δήσωμεν[7] τὸν δίκαιον ὅτι δύσχρηστος[8] ἡμῖν ἐστιν (3).

40. Καὶ τῶν παρ' Ἕλλησιν δέ τις, ὡς ἀκούομεν[9]· ὁ δὲ δίκαιος, φησίν, μαστιγωθήσεται[10], στρεβλωθήσεται, δεθήσεται, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμώ, τελευτῶν πάντα τὰ κακὰ παθὼν ἀνασκολοπισθήσεται (4).

41. Ὥσπερ οὖν Σωκράτους οἱ Ἀθηναῖοι συκοφάνται ἀδίκως κατεψηφίσαντο[11], πείσαντες καὶ τὸν δῆμον, οὕτως καὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς διδασκά-

[1] *cod.* πολιτίαν. — [2] *cod.* παύην. — [3] *cod.* ἡδωνάς. — [4] *cod.* ἀπενέγκατο. — [5] *cod.* φιλώσοφοι. — [6] *cod.* ἄχριστοι. — [7] *cod.* δίσωμεν. — [8] *cod.* δύσχριστος. — [9] *cod.* ἀκούωμεν. — [10] *cod.* μαστηγωθήσεται. — [11] *cod.* κατεψηφίσαντω.

(1) Mirus sane hic sermo in ore Perennis, qui quidem in textu armenio talia minime loquitur. — (2) I *Petr.*, II, 17. — (3) *Isaias*, III, 10. — (4) Platonem adducit, *Republ.*, libr. II, p. 361, cuius verba non tamen ad amussim rettulit : ἐροῦσι δὲ τάδε, ὅτι οὕτω διακείμενος ὁ δίκαιος μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τὠφθαλμώ, τελευτῶν πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδυλευθήσεται.

λου τε καὶ σωτῆρος· ἔνιοι τῶν πανούργων κατεψηφίσαντο, δήσαντες[1] αὐτόν.

42. Ὥσπερ καὶ τοὺς προφήτας, οἵτινες πολλὰ προεῖπον ἐν δόξῃ περὶ τοῦ ἀνδρὸς ὅτι τοιοῦτός τις ἀφίξεται[2] πάντα δίκαιος καὶ ἐνάρετος, ὃς εἰς πάντας εὐποιήσας ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετῇ πείσει[3] σέβειν τὸν πάντων Θεόν, ὃν ἡμεῖς φθάσαντες τιμῶμεν, ὅτι ἐμάθομεν σεμνὰς ἐντολὰς ἃς οὐκ ᾔδειμεν[4], καὶ οὐ πεπλανήμεθα· εἰ (1) δὲ καὶ πλάνη τις εἴη τοιαύτη ὡς καθ' ὑμᾶς ἡ λέγουσα ψυχὴν μὲν ἀθάνατον, δίκην δὲ μετὰ θάνατον [fol. 63v] καὶ πέρας ἀρετῆς ἐν τῇ ἀναστάσει[5] καὶ Θεὸν δικαστήν, ἡδέως ἂν τὴν τοιαύτην ἀπάτην ἀποφερόμεθα[6], δι' ἧς μάλιστα τὸ καλῶς βιοῦν μεμαθήκαμεν, τὴν μέλλουσαν ἐλπίδα ἀπεκδεχόμενοι, καίτοι τὰ ἐναντία πάσχοντες[7].

43. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Ἐνόμιζόν[8] σε, Ἀπολλώ, τὸ λοιπὸν μεταβεβλῆσθαι τῆς τοιαύτης προαιρέσεως[9] καὶ σέβειν μεθ' ἡμῶν τοὺς θεούς.

44. Ἀπολλὼς εἶπεν· Ἐγὼ ἤλπιζον, ἀνθύπατε, τοὺς εὐσεβεῖς[10] διαλογισμούς σοι παρεῖναι[11] καὶ πεφωτίσθαι σου τοὺς τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοὺς διὰ τῆς ἀπολογίας μου, ὥστε τὴν καρδίαν σοῦ καρποφορῆσαι[12] Θεὸν τὸν ποιητὴν πάντων, σέβειν τε[13] τούτῳ καθ' ἡμέραν δι' ἐλεημοσύνων, καὶ φιλανθρώπου τρόπου τὰς εὐχὰς ἀναπέμπειν μόνῳ θυσίαν ἀναίμακτον καὶ καθαρὰν τῷ Θεῷ.

45. Περέννιος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Θέλω σε ἀπολῦσαι, Ἀπολλώ· κωλύομαι[14] δὲ ὑπὸ τοῦ δόγματος Κομόδου τοῦ αὐτοκράτορος (2), πλὴν φιλανθρώπως χρήσομαί[15] σοι ἐν τῷ θανάτῳ. Καὶ ἔδωκεν σίγνον (3) κατ' αὐτοῦ κατεαγῆναι τοῦ μάρτυρος τὰ σκέλη (4).

46. Ἀπολλὼς δὲ ὁ καὶ Σακκέας εἶπεν· Εὐχαριστῶ (5) τῷ Θεῷ μου, Περέννιε ἀνθύπατε, σὺν πᾶσι τοῖς ὁμολογήσασι Θεὸν παντοκράτορα καὶ

[1] *cod.* δίσαντες. — [2] *cod.* ἀφήξεται. — [3] *cod.* πείση. — [4] *cod.* εἴδιμεν. — [5] *cod.* ἀναστάση. — [6] *cod.* ἀποφερώμεθα. — [7] *cod.* πάσχωντες. — [8] *cod.* ἐνόμηζων. — [9] *cod.* προερέσεως. — [10] *cod.* εὐσεβῆς. — [11] *cod.* παρῆναι. — [12] *cod.* καρποφορεῖσαι. — [13] *cod.* σέβει τε. — [14] *cod.* κωλύωμε. — [15] *cod.* χρίσωμαι.

(1) Εἰ δὲ – ἀποφερόμεθα, longa videtur esse interpolatio graeci compilatoris. — (2) In textu armenio sententiam senatus incusat Perennis. — (3) Sub hoc verbo locum praesentem adducit Cangius in *Glossario med. et inf. graecit.* — (4) Graecus noster contradicit Eusebio, qui disertis verbis asserit, *Hist. eccl.*, V, 21, non Apollonio, sed eius servo qui eum prodiderat, confracta esse crura. — (5) Haec oratio in textu graeco prolixe amplificata est; Armenius tantum dicit : Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου περὶ τῆς ἀποφάσεώς σου.

τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ περὶ τῆσδε τῆς ἐμοὶ σω[fol. 64]τηριώδους ἀποφάσεώς σου.

47. Τοιοῦτον τέλος (1) ἔνδοξον μαρτυρίου νηφούσῃ ψυχῇ καὶ προθύμῳ καρδίᾳ ἐνήρξατο ὁ ἁγιώτατος ἀθλοφόρος οὗτος, ὁ καὶ Σακκέας. Ἡ δὲ κυρία τῶν ἡμερῶν καθ' ἣν παλαίσας [1] τῷ πονηρῷ τὸ βραβεῖον τῆς νίκης ἐκομίσατο [2] σήμερον ἐνέστηκεν. Δεῦρο [3] τοίνυν τοῖς ἐκείνου καλοῖς ἀνδραγαθήμασιν, ἀδελφοί, τὴν ἑαυτῶν ψυχὴν εἰς πίστιν ἐπιρρώσαντες ἐραστὰς ἑαυτοὺς τῆς τοιαύτης χάριτος καταστήσωμεν [4] δι' ἐλέους καὶ χάριτος Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ σὺν ἁγίῳ Πνεύματι δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Ἐμαρτύρησεν [5] ὁ τρισμακαριώτατος Ἀπολλώς, ὁ καὶ Σακκέας, πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν μαΐου κατὰ Ῥωμαίους, κατὰ δὲ Ἀσιανοὺς μηνὸς ὀγδόου, κατὰ δὲ ἡμᾶς βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

[1] *cod.* παλέσας. — [2] *cod.* ἐκωμήσατο. — [3] *cod.* δεῦρω. — [4] *cod.* καταστίσωμεν. — [5] *cod.* ἐμαρτύρισεν.

(1) Quae sequuntur non habet textus armenius, qui uno verbo refert Apollonium decollatum fuisse.

VITA ET MIRACULA

S. STANISLAI KOSTKAE

conscripta a P. Urbano Ubaldini, S. I.

(*Continuatur*. Vide t. XIII, p. 122-156.)

PARS TERTIA

DE ADMIRANDIS DEI DONIS BEATO STANISLAO CONCESSIS

Non iterabo hic ea dona et admirabiles gratias, quas beatus Stanislaus communes aliis accepit, aut de quibus iam inter virtutes, quae et ipsae donum Dei sunt, pauca exposui. Neque ideo loquar de donis virginitatis servatae, orationis sublimis absque divagatione mentis, dono lacrimarum, raptibus, de prophetia, qua mortem praedixit, ceterisque quae facile colligi iam ex dictis possunt. Sed ea quae ipsius propria et singularia sunt, enumerabo, ex quibus constabit divinam liberalitatem huic beato adulescenti se abundantissime infudisse.

Caput primum

Victoria de infernali spectro reportata.

Partim assidua in res animae attentione, partim, ut credibile est, quod ab ipso etiam Pacifico fuit observatum, domestica, de qua relatum est, vexatione humanae patientiae intoleranda causante, gravissimum morbum haud sane ad mortem, sed ut opera Dei manifesta in illo fierent, contraxit. Et certo nihil unquam hoc morbo insignius ac fortunatius contigit beato adulescenti. In hoc enim primum diaboli superavit spectra, deinde sacrosancta Eucharistia admirabili modo pastus est, postremo valetudinem quoque recuperavit divinitus.

Sub initia morbi, qui famulos Dei, quos nequit pervertere, gaudet tamen vexare, diabolus taetri canis forma in cubiculo eius apparuit. Monstrum erat ingens, taetrum, immane; molossus oculis igni scintillantibus, horrendo faucium hiatu, halitu fetidissimo, flammarum globos una cum latratu evomens. Vix comparuit, lectulum Stanislai decumbentis petiit, agnum illum tenerrimum Christi lupina rabie suffocaturus, ferociter insiliens irruit. Praesenti animo aeger ad preces et victricia signa crucis confugit. Ter insiliit, ter Stanislaus formato crucis signo quasi hasta ferrata abegit, ut demum negotium ei facessere et apparere desierit. Samboritanus infirmitatis non meminit, dum eum conflictum describit aiens:

Dum sedet in scamno, petit altum pectore caelum,
Ecce niger patulo constitit ore canis.
Ter petit insultans pueri trux ora paventis,
Ter resilit, signo subveniente crucis.
Vix tandem victus foedis disparet in auris;
Victoris pueri gaudia pectus habent.

Sed cum id metri facilioris breviorisque gratia fecisse credendus sit, at sub infirmitatem id contigisse ex ipsius Stanislai ore acceptum, dubio locus nullus relictus est. Sic pugnaverat olim pulcher aspectu puer David contra monstrum illud naturae Philisthaeum. Certe magnae virtutis et generositatis fuit adulescentem et non nisi baculo et lapidibus, quibus dicunt nomen Dei fuisse inscriptum, instructum obviam ire, et non ut canem tantum abigere, sed supra vires, supra aetatem prosternere. Sic pugnavit et cum infernali cane beatus Stanislaus cruce Christi armatus, aetate tener, viribus fractus; sic pugnavit cum illo, qui ut leo rugiens voce sua prosternit non oves tantum aut agnos de grege, sed et plurimos devorans.

Illud quoque hic non incongrue adverterim, atrocissimum hunc hostem nobilissimos quosque et sanctissimos de Societate aggressum. Nam et sanctum patrem ac patriarcham Ignatium decumbentem et S. Franciscum Xaverium in oratione pernoctantem duris verberibus contudit et B. Franciscum Borgiam impetiit et Stanislao duellum non indixit modo, sed et non minus hostiliter quam rabiose contra illum conflixit; ita permittente Deo, cui cura est de nobis, ut per pugnam et victoriam cum principe tenebrarum annumerari inter filios lucis posset mererique, necdum nisi in voto tiro, ut emeritorum Societatis ductorum triumphis, adeo nominatam victoriam eo, qui docet manus ad proelium et digitos ad bellum, Deo beatissimi iuvenis invicto animo concedente.

Caput secundum

Sanctissima Eucharistia per manus angelorum beato Stanislao porrecta.

Terno Satanae impetu, de quo proxime rettuli, reiecto, uti olim duci invictissimo Christo servatori post ternos tentantis assultus repressos, victori militi Stanislao accesserunt angeli et ministrabant illud, quod vincentibus promissum est, manna caeleste, ac de ligno vitae fructum salutiferum, Dominum sub speciebus panis, apportantes.

Ingravescente siquidem morbo, cum Paulus ac domesticae disciplinae morumque magister Iohannes Bylinski medicos curando corpori advocarent, iis quae animae spirituique, immo et non alteri tantum, sed et huic vitae prodesse conservandae aut restituendae possent, remediis neglectis, solus ad ea intentus Stanislaus, deficientibus prae mali feritate viribus (ita enim iam robur acceperat aegritudo, ut iudicio medicorum alterius quam huius saeculi esse censeretur), angi religiosissima cura religiosissimo animo coepit, non quod mori aut recusaret aut metueret, sed quod sanctissimi illius cibi appetentissimus verebatur, ne et dulci absque osculo, quod in abitu suo daret dilecto et augustissimo viatico, abeundum esset e vita, cum suos non adeo rerum divinarum curiosos videret et insuper hospitem haereticum sciret. Ergo humanis destitutus praesidiis ad caelestia confugit.

Mensis erat decembris, nec multis ante morbum diebus in patronae suae S. Barbarae vita, quam sollemnia illius celebraturus legerat, scriptum reppererat, qui eius virginis implorasset opem, neutiquam eam passuram, ut supremis immunitum mysteriis mors opprimeret. Quo loco tanquam optimo thesauro, ut erat, invento laetus, tanti beneficii ut se quoque participem facere vellet, precibus et ipsis paenitentiae eucharistiaeque sacramentis ob eam rem susceptis institerat. Hoc ergo cum praesens necessitas menti subiecisset, caelesti plenus fiducia ad martyrem benignissimam versus, venisse memorat illud tempus, cum praecipuo eius auxilio indigeret. Ecce autem singulare paucisque concessum donum. Nocte intempesta adest et sub aspectum se offert sancta Barbara, pariterque angeli in claro lumine, quod refulsit in habitaculo, sacrosanctam afferentes hostiam; qui cum ad lectulum famelici accessissent, reverenter eandem ei porrexerunt. Atque ipse summa primo cum animi demissione veneratus, pari deinde cum gaudio Deum cordis sui parentem et arbitrum vitae salutisque suae suscepit.

Aderat tum plures iam ante ob periculum morbi noctes insomnes agens Stanislao, insomnis etiam tunc, nominatus domesticae Stanislai institutionis magister Iohannes, ne forte quid adversi, ut ipse in suo asserit testimonio in *proc. Pultov.*, Stanislao in illa infirmitate accideret, prout eo temporis aegritudine depositis communiter solebat accidere. Illum ita sibi assistentem Stanislaus compellat, et ut debitam Eucharistiae sacramento, quod sibi cum S. Barbara virgine et martyre afferri et ab angelo porrigi claris et expressis aiebat verbis, admonet reverentiam exhiberet: *Procumbite, procumbite,* ait, *in genua; ecce S. Barbara duobus angelis sacrosanctam hostiam afferentibus mihi comitata appropinquat.* Ac se subito e lectulo proripit Stanislaus, decidensque in genua ter usitatum *Domine non sum dignus* pronuntiat; os magno humilitatis et devotionis affectu suscipientium hunc divinissimum cibum more aperit et sumit. Et irruit timor super omnes.

Hoc idem clarissimum divinae in se benignitatis et patronae suae S. Barbarae tutelae testimonium ipsemet Stanislaus, Deo sic disponente, Stephano Augusto suo iam connovicio (in ea quae libro *Flos sanctorum* intitulato a Petro Ribadeneira scripta fertur vita, Emmanuel Sa fuisse dicitur, ego ultra hunc alium fuisse etiam suspicor; quod Deo disponente accidisse nemo ambiget, ne adeo gratia singularis immoreretur cum ipso et tam pretiosus opum divinarum thesaurus quasi defossus remaneret in terra) prope ante mortem evulgavit. Quod ut actum relatumque a primo est, verbis eiusdem audire non oberit. Alterius enim, qui non nisi accepta a superioribus licentia, qua ab secreti obligatione post mortem absolveretur, rem sibi concreditam statim propalaverat, tenorem, quo in referendo usus est, a nemine repperi connotatum. *Colloquendo,* ait Augustus in Proc. Recinet., *semel in noviciatu cum Stanislao, qui, ut linguam italicam addiscere posset, mihi saepius solitus erat loqui, proxime ante festum S. Barbarae me sic affatus est Stanislaus: " O quantum ego debeo Deo et huic sanctae! " Cum vero subiunxissem, omnes homines esse debitores Deo, sed si quid haberet particularis devotionis erga sanctam, edissereret quidpiam, quod cum primo aliquantum recusasset, tum demum ait: " Scitote, quod dum quodam infirmarer tempore in unius haeretici domo, magno cum affectu et corde desiderans sacram communionem, huic me sanctae virgini commendabam, et cum in eo desiderio persisterem, apparuerunt mihi duo angeli in meo cubiculo cum sancta martyre et virgine, et sanctissimum Sacramentum mihi apportarunt, et sumpsi cum magna laetitia cordis." Quod ubi rettulisset, ex imo et intimo cordis sensu suspiravit et conticuit, ac simul tota facie rubore suffusus, ut nihil mihi, quod dicerem, suppeteret.* Haec ille. Admirabilis huiusce apparitionis et gratiae locus venerationi omnibus Viennae est, de eoque tamquam de thesauro quopiam habitatores illius domus gloriantur.

Incesserat idem desiderium cor Stanislai, dum nobilis viator et peregrinus Vienna Dilingam pergeret, ac veluti peregrinus Iacob: O si dederit mihi Dominus panem, erit mihi in Deum! ad caelestem panem iterato aspiravit, incidensque in quoddam haereticum fanum illudque, quantum exterior monstrabat facies, catholicorum templum ratus, lutheranorum enim apparatus haud magnopere distat, ingressus divinum epulum expetere coepit. Re subinde cognita, vehementer plorare tam praeclaram spem sibi evanuisse exorsus. Sed et ecce hic, quod et Ismaeli ex domo patris sui Abraham extorri accidit, dum prae ardore et siti elevasset vocem et fleret, exaudivit nempe Dominus vocem pueri, ac rursus, quemadmodum olim, dum aegrotaret, panem angelorum angeli manu porrectum accepit, et hoc nobilissimum de fontibus Salvatoris refrigerium sumpsit.

Casu quopiam itineris comitem se Stanislao adiunxerat sacerdos quidam, qui et, dum haec agerentur, praesens adfuit, et rem ut accidit enarravit *(ita Crac. Posn. proc.)*; Thomas Schotensis fuisse putatur.

Caput tertium

Vocatio religiosa et sanitas miraculose restituta.

Vita quam beatus iuvenis partim Viennae, partim in domo paterna puerulus gesserat, ostendebat manifeste, neque ab saeculo indolem illam, neque ad saeculum natam fuisse: ubique enim religiositatem spirare cernebatur. Quare brevi illum divinus Spiritus coepit interiore instinctu rapere ad excelsa, incitare ad fortia, ut penitus res ac spes abdicaret mortales, ut, relictis patria et propinquis, transiret ad sortem Dei, ac religiosae disciplinae veluti cultro viventem se hostiam immolaret procreatori suo. Quem ille instinctum cum totum late pandens sinum pectoris voluntate exciperet summa, tamen sive puerili pudore, sive qua alia causa, ne confessario aperiret, sex spatio mensium prohibitus est, ut rettuli supra. Quod fortasse Deus permisit, quo haberet deinde innocentissimus ille animus nonnulla plorandi seque despiciendi materiam, tamquam si sancto Spiritui tamdiu obstitisset. Permittit talia Deus mentibus puris velut ad experimentum humilitatis. Ita daemon fraudulente curavit, sperans aliquod lucrum ex mora; quippe novit improbus, quamdiu occulta est pietatis magistro conscientia nostra, interrumpi divinae Providentiae ordinem, cumque singulis nobis nec legitime repugnantibus sibi esse certamen; ea vero patefacta, dimicationes fore cum pluribus, quibus etiam caeleste auxilium ex submissione ac debito nexu promptum sit. Quamobrem tum quae Deus in humanis cordibus serit, tum quae ipsemet

superseminat, quantum maxime potest, occultat, quo facilius salutifera Dei semina opprimat et mortifera sua zizania enutriat. Sed irritus fuit in praesens conatus; divina namque roborante gratia, Stanislaus suimet mutique daemonii victor egregius rem confessario omnem aperuit multisque cum lacrimis, protinusque victori de ligno vitae datum est; quippe tamquam facti accepti sibi notam et tamquam ad similia consuefacere vellet imperator caelestis tironem suum facinora, tantum ei supernae voluptatis ingessit, ut capiendae adulescentuli cor haudquaquam sufficeret. Inde dies ac noctes nil in mente eius ac ore, nisi Deus et Societas Iesu. Interim morbus gravis contractus, ut relatum, cum ecce Virgo clementissima, Dei Mater, parvulum filium in sinu gestans, praesens adfuit consolans clientem suum; quem ut uberiore suavitate perfunderet, puellum Iesum in eius deposuit lectulo. Quo animo, qua voluptate et hospites tantos exceperit, facile est cogitare, sed non eloqui. Inde aegro lectulum suum tam pulchre floridum contemplanti, non mirifica solum allata consolatio, sed etiam Salvatoris accessu afflata est salus; ex nunc enim abscessit languor, visque ingens aestuantis febris, ob quam vita abiudicatus iam a medicis fuerat, a fonte salutis exstincta, ut se ex lecto proripere, vestes postulare, quibus indutus adiret ecclesiam, gratias divinae redditurus benignitati, coeperit. Sed cum absque medicorum licentia id se permittere posse negarent astantes, illucescente tandem die, medicis venas explorantibus ac primum stupore de tanta ac celeri morbi in valetudinem mutatione attonitis, cum sani omnia indicia repperissent praeter quod speraverant, periculum, quod ante agnoverant, abesse procul pronunciarunt: nihilominus tamen, non nihil ut quiesceret, metu ne rediret malum, statuerunt. Fecit quod imperabatur beatus iuvenis, abeuntibus modeste subridens ad rem sibi parum necessariam praescriptam. Ac eadem die precibus evicit, ut, vestimentis resumptis, sicut celeriter gratiam fuerat consecutus, ita moram in gratiis reddendis non interponendam affirmans, una cum domesticis templum adiret, nullo in posterum morbi remanente vestigio.

Cumulavit insuper caeli Regina munus; nam in digressu nominatim admonuit (quod et ipsum infantulum fecisse aiunt Oultreman, Damianus et Elias a Sancta Theresia, nec quicquam incongrui ad credendum est) ut Societati se daret, haec expresse adiungens suae voluntatis verba: *Ingredere Societatem Iesu.* Ubi illud addendum, quod et parentis augustissimae maternam curam, et Stanislai cum sanctis similitudinem exprimit: idem Rebeccam fecisse Iacobo, quem frater malo tractabat animo *(Gen., c. 27)*, cum illum de domo paterna ad fratrem suum Labanum iter instituere ibique iusserat commorari.

Caput quartum

Insequentium manus miraculose evadit, ex saeculo ad religionem fugiens.

Haud multo postquam, ut rettuli, Stanislaus Vienna fugam, sancto proposito ineundae Societatis aptissimam, arripuerat, cum domi non appareret, ac Paulum conscius iniuriarum inflictarum animus remorderet, quasi sua saevitia Stanislaum gravius de se aliquid consulere adegisset, ipse et paedagogus et is apud quem diversabantur ad collegium solliciti accurrunt, rogantque quid factum Stanislao sit. Nihil inde certi reportant; sed Ungari adulescentis indicio, et litteris, quas ad eam rem reliquerat Stanislaus, tandem cognita fuga, curribus conductis, in diversas festinant partes. Rumor fuit ad maleficam mulierem itum, eamque docuisse qua parte nobilis transfuga egressus, qua via inveniendus foret, eaque via, quam maga monstrasset, hospitem curru velociter eodem vespere ad eum locum pervolasse, in quem gloriosa fuga inclitus Christi miles diverterat; cumque iam prope haberet eum in manibus, equos consternatos concidisse, ut progredi ultra non possent, et ipse auriga attonitus exclamaret numquam sibi tale quid ad id temporis contigisse; atque hoc tamquam portento exterritum hospitem ab insectando destitisse. Hoc modo et aditam veneficam et exterritos equos, annuae Viennensis collegii litterae, recentissima re, kalendis septembribus 1567 scriptae, generali praeposito cunctaeque Societati nuntiant. Cuius narrationis finem tantum posuisse patri Sachino placuit, dicenti: Eaque narratio his clauditur verbis: “ Quid adhuc futurum sit, Deus novit. Speramus tamen id non sine Dei consilio contigisse, ut ita abiret. Adeo enim constans semper fuit, ut non pueriliter, sed caelesti quadam inspiratione commotus fuisse videatur. „ Mihi, quia singularia quae superius virtutum et morum ipsius attigi, continent, totam narrationem hic posuisse non incongruum visum, quam ex ipsis litteris ad generalem Borgiam datis, supranominato die, mense, ac anno, tomo *Litterarum Germaniae* 1567, pag. 220, intitulato, excerpsi.

Ex litteris Viennensibus 1567, kal. septemb. Polonus quidam adulescens, genere nobilis sed virtute sua nobilior, qui biennium integrum apud nostros Viennae institit, et tamen, quod sine parentum consensu eum admitti non expediret, non solum quia convictor noster fuerat et etiam nostri gymnasii studiosus erat continuus, sed etiam ob alias causas semper est passus repulsam; paucis abhinc diebus, ingressum sui desperans, alio profectus est, tentaturus, si

forte alibi voti compos fieri queat. Magnum ille constantiae ac pietatis exemplum fuit, carus omnibus, molestus nemini, puer aetate, vir prudentia. corpore parvus, animo magnus et excelsus. Cottidie duo sacra audiebat, frequentius quam ceteri et confitebatur et corpus Christi accipiebat, et orabat prolixius; et simul condiscipulos (studebat autem rhetoricae) eruditione non assequebatur modo, sed etiam vincebat, a quibus paulo ante superabatur. Dies et noctes Iesus et Societas animo eius versabantur; plorans interdum urgebat superiores. ut reciperent. Legatum etiam summi Pontificis litteris sollicitabat, ut nostros compelleret. Verum omnia frustra. Quare decrevit, invitis parentibus fratribusque, cognatis, affinibus, alio iter suscipere aliaque via ad Societatem Iesu aditum quaerere. Quodsi nec alibi succederet, statuit tota vita peregrinari vitamque Christi amore ducere abiectissimam ac pauperrimam. Nostri vero, postquam has eius cogitationes perceperunt, dissuadere coeperunt, hortarique, ut cum fratre, qui mox in patriam profecturus putabatur, iter ingrederetur; parentes, si constantiam hanc viderent, honestae petitioni assensum forte praebituros. Ille contra immobilis, frustra id de parentibus sperari; sibi eos notiores esse quam aliis; se quod Christo promisisset omnino exsolvere debere. Itaque, cum neque praeceptor neque confessarii ab hoc proposito consilioque eum dimovere possent, mane quodam, accepto prius sanctissimo Christi corpore, insciis paedagogo et fratre, amplo satis patrimonio valedicens, depositis quibus domi et in scholis vestibus utebatur habituque vilissimo lineo se amiciens et bacillum manibus sumens, instar pauperis ac rusticani pueri, Vienna discedit. Paulo post, ad collegium hospes, frater, paedagogus venere, planeque scire voluerunt ubinam esset. Cumque nostri nihil se scire responderent, (non enim eum abeuntem viderant) mox illi equis conductis in diversas partes festinare. Rumor etiam erat, ad maleficam mulierem itum esse, eamque docuisse, qua parte egressus, qua via inveniendus esset, eaque via quam mulier monstrasset, hospitem curru velociter eodem vespere ad eum locum pervolasse, in quem miles Christi diverterat, sed minime apprehendisse. Ferunt enim equos exanimatos concidisse, ita ut ultra progredi minime possent, ipsumque aurigam admirabundum exclamasse, numquam sibi tale quid evenisse: atque hoc quasi portento quodam exterritum hospitem, ab insecutione destitisse. Quid adhuc futurum sit, Deus novit. Speramus tamen, id non sine Dei consilio contigisse, ut ita abiret. Adeo enim constans semper fuit, ut non pueriliter, sed caelesti quadam inspiratione commotus fuisse videatur.

Auctor harum litterarum, a se (ut ad praepositum generalem ait) ex commissione Patris Rectoris Viennensis scriptarum, Wolfgangus Pyrringer. Hanc quoque rem ita in metra Samboritanus dedit.

Iungit equos frater, raptoque auriga flagello
Insonat ; a cursu pulverulenta via est.
Dicitur in propiore puer consistere vico ;
Hic libet ergo citis addere calcar equis.
Calcar equis addunt, et equi subito consistunt,
Nec solito possunt more movere gradum.
Ecquid, ait, monstri ? sudore auriga reterso ;
Deficiunt, qui plus semper iere viae.

Aliud quidam admirabile adiciunt : cum ita iam insectantes Stanislaum essent assecuti, ut facile, quamvis mutato habitu, possent agnoscere, ipseque eos optime cognovisset, ipsum tamen agnitum non fuisse. Immo est qui referat, et quidem, si auctoritatem dicentis spectes, dignitate episcopus, ab uno tum Viennae, dum haec agerentur, praesenti et post iam aetate sene rem sic acceptam, quod dum iamiam insectantes illi appropinquassent, ab uno illorum visus est quasi seniculus et grandaevus; quae forma cum illos fefellisset, quam coeperat viam Stanislaus prosecutus est. Est et alius quem multorum relatio in hac opinione confirmavit, quod cum iamiam veredarii cingerent, Stanislaum vero fluvius quispiam a subterfugiendo impediret, ex una ad alteram litoris ripam mirabiliter transportatum constitisse; quod nisi contigisset diutiusque in parte altera substitisset, non evasisset insequentium manus.

Mirabilem eiusmodi e manibus insequentium evasionem beatus ipse suis familiaribus edixit : (inter quos refertur ab eo, qui ex ore affirmantis exceperat anno 1601. pater Franciscus Vipera, beati connovicius, multa postea in Societate gubernatione celeber) se insecutum non tantum, sed et assecutum fuisse, non agnitum nihilominus, atque ita alio se illis obvertentibus, ipse suam viam tenuit; quare inquiebat se divinae maiestati obligatum gratias referre pro eo beneficio. Quoquo modo actum est, hoc certum, non sine miraculo evenisse, quod deprehensus non sit. Ita enim ea de re hic, qui aliquoties iam nominatus est, Pacificus ait quod domum cum ingenti confusione redierint, qui Stanislaum insequebantur ; audivitque eosdem referentes quod illum ante oculos habuerint in campis, neque tamen illum viderint. Addit vero utriusque signaturae sanctissimi referendarius Antonius de Mier, pro tunc tam beati Stanislai quam Pauli fratris familiaris, currum quo vehebantur confractum, Paulumque saepius, dum haec referret, vidisse signo crucis se signantem, dicentemque: *Non amplius persequar illum, quia mirabilia vidi;* confirmabantque omnes a se non visum, licet illi visi ab ipso fuissent (1).

(1) *Additamentum:* In bulla canonizationis res sic exhibetur : A fratre citatis equis eum quaeritante divinae gratiae praesidio nequaquam agnitus.

Caput quintum

Moriens a Virgine sanctissima cum choro virginum sanctarum invisitur.

Prope iam excessum constitutus, cum oculos fere tamquam sopori dulci quiescens placide teneret clausos Stanislaus, de repente toto vultu in serenum mutato, eosdem hilariter circumagere huc et illuc coepit, dulcique labiorum motu et quasi subrisu suavissimae cuiusdam voluptatis argumenta ostendere, qua animus innocentissimi iuvenis vel in eo formidolosissimo agone perfruebatur. Praesentes qui aderant certam ex eo acceperunt coniecturam, praeclaram ei quampiam rerum divinarum speciem visionemque obici, quae illum adeo iucunde exhilararet. Talem Stanislai vultus hilaritatem sic alloquitur Samboritanum poema:

Quid tua tam gratum laetissima lumina spectant?
Quid contemplaris, Costule, quaeso, boni?
Num Pater ille Deus tibi, num spectatur Iesus?
An cum matre tua Barbara diva venit?

Et certe non immerito; ex ipsius enim Stanislai morientis ore est qui testetur confirmatum, eo nimirum tempore benignissimam Matrem Reginam caeli et angelorum, quam ille tenerrimo semper affectu pro matre sua coluit, associatam pulcherrimo sanctarum virginum choro illi apparuisse; eumdemque, quantusquantus erat, laetitia solacioque adimplevisse: egressa tunc, quasi altera Pharaonis filia, nobili comitata aula, ut ex hoc, quod nos absorbet, flumine eriperet, et in regalis throni gloriaeque participationem, quam vita ipsa desiderabat magis Stanislaus, suum sibique dicatum transferret filium. Atque ita illa a nemine praesentium cognita oris in verba formatio, nobilis illius Societatis, inter quam secuturus Agnum cantaturusque canticum, quod solis datum est cantare virginibus, allocutio, salutatio, sermocinatioque fuit.

Caput sextum

Pauli, fratris beati Stanislai, conversio, vita et mors sancte obita, ac eius morum magistri.

Non in alio loco tractandum de vita ac sanctimonia germani fratris beati Stanislai Pauli commodius arbitratus sum, quam ubi de donis a Deo beato iuveni concessis ago; talis enim mutatio quam in Paulo

videre erit, nonnisi a dextera processisse Excelsi censenda; quae cum in Stanislaum liberalis esset, etiam illi vitam seu sanctitatem potius Pauli fratris ac magistri, qui olim ipsius virtutem persequebantur, donasset, utroque id agnoscente. Paulus enim cum prae dulcedine pietateque multotiens in profusas abiret lacrimas, in eas erumpebat voces: *Tuus hic, frater mi Stanislae, effectus est; gratia tua est.* Alter quoque, dum ultimum spiritum ageret, ante se imaginem beati Stanislai tenere voluit, ut in illius manibus exspiraret, qui sibi Deum pro illius horae necessitate placasset.

De primi mutatione in melius haec invenio quod cum primis annis haud multum negotii suscepisset in rerum cultu divinarum (apparebat id, ait qui Paulum noverat, ex compositione Pauli, illum in sua tenera aetate proniorem fuisse ad mundana quam caelestia, et ideo etiam beatum interdum male tractavisse, quod ad eius mores se accommodare recusavit; vivacis enim et acris erat ingenii, ut dixi), ubi maturuit aetas, ita diversam viam iniit, ut moriens et ipse sanctimoniae famam magnam reliquerit. Comparem sibi (ut, studiis Viennae absolutis, Roma Italiaeque partibus visitatis, in Poloniam rediit) genere ac ceteris ornamentis conquirens coniugem, aliquot condiciones frustra tentarat, cum reputare coepit secum Deo cordi non esse, ut illo se vitae genere alligaret, ac proinde vertendas alio curas, quin Deo ipsi, soluto plane a terrenis nexibus animo et corpore, serviendum.

Haec salutaris cogitatio novae illi vitae initium fuit. Inde liberalius se coepit precationibus dedere, divina crebrius usurpare mysteria ac reliqua pietatis officia tractare impensius. Ad mensam non nisi de caelestibus loquebatur, precarios Virginis Deiparae de collo prominentes gestabat globulos, vili utebatur vestitu; quod tanto laudabilius fecisse censendus, quod nobilitati generis etiam dignitas accedebat, quam in Szochaczoviensi districtu vexillifer, ut aiunt, obtinebat. Nullam, dum iter ageret, obviam ecclesiam praeteriit, quam non equo vel curru descendens visitaret.

Crucifixi imagines, quae christiano more viarum camporumque lateribus eriguntur, non solum reverenter adorabat, sed curru exsiliens humi provolutus ante easdem non parum temporis precationi concedens venerabatur.

Neminem in suum admisit famulatum, nisi prius fidei orthodoxae professionem emisisset; tum virtutis gustu illectus, quae experienti multo suavior quam cogitanti est, divina gratia corroboratus, quae recte factis amplificatur, animum adduxit, facultatibus suis Christo Domino redditis, pauperem vitam humilemque traducere. Itaque Prasnicii, ubi versabatur, Patribus Franciscanis, quos Bernardinos in Polonia vocant, certam pecuniam assignavit templo ac coenobio

exstruendo. Templo eiusdem oppidi populari annuum vectigal auxit, et sacellum in eo condidit, et in sacello sibi sepulcrum cum inscriptione hac posuit : *Non erubesco Evangelium,* significans vitam sibi inopem, quamvis mundo ignobilem, ultro delectam, quod e schola esset non mundi sed Christi, nec rubori sibi, sed splendori ducere, quod caelestis magister re et oratione optabile et gloriosum demonstrarat et fecerat; praeclare enim S. Ambrosius : *Neminem,* inquit, *debet pudere, si ex divite pauper fiat, dum largitur pauperi; quia Christus pauper factus est, cum dives esset, ut nos sua inopia ditaret.* Denique amplas in eodem oppido aedes et xenodochia aedificavit, consilio collocandae ibi Societatis. Quod ubi impetrare non potuit, pauperibus eas et xenodochio largitus, in earum parte, pauper ipse pro Christo et contubernalis pauperum factus, vitam in assiduis ieiuniis, precationibus, in quibus humi in faciem crucis in modum provolutus pluries reperiebatur, plures horas absumens in templo et aliis pietatis muneribus, egit; omnium virtutum, sed praecipue humilitatis, specimen late clarissimum praebens.

Avebat summopere, ut absolutum faceret holocaustum, se quoque ipsum Societati tradere, quam venerabundus ubique cum praefatione honorifica sanctam appellabat, et quamvis multa ne reciperetur obstarent, aetas in primis gravior ac perdita valetudo, tamen post diuturnam flagitationem sine fine perseverantem, Claudius Aquaviva generalis praepositus, tum ipsi homini, tum sanctae Stanislai memoriae tribuendum aliquid ratus (qui eam gratiam in parentes, fratres totamque suam familiam derivari a Deo, ut diximus, desiderabat), admisit. Hoc Paulus nuntio laetus, dum converso penitus ad crucem animo solus in eo est, ut a subortis litibus bona, quae ecclesiis donarat, explicet, protinus in domum Domini evolaturus, Petricoviae in regni judiciis, quae tribunalicia vocant, letifero morbo correptus, ad praemia recte factorum piorumque studiorum discessit anno 1607, mense nov. die 13. Certatim ad corpus videndum confluxit universa nobilitas, quod et postea praedicabant quandam sanctitatem spirasse, et omnibus eius conspectu acres pietatis motus iniectos. Ita Paulus, quo bono Stanislaum arcebat, eius a Stanislao factus est consors. Similiter olim patriarcha Ioseph bonorum in partem, quae illi interceptum iverant, fratres recepit; sed humana illa fuere et caduca bona; nostra haec divina et aeterna; ut in Aegyptum advocatos illos, ex Aegypto hunc evocatum appareat.

Non absimilis fuit exitus illius, qui Stanislai patientiam suis quoque exercuerat moribus asperioribus, Iohannis Bylinski. Hic enim ecclesiasticum statum amplexus, cum in eo praeclaris dotibus ad gradus canonicatus cathedralis Plocensis Pultoviensisque devenisset, vitam tali honore et statu dignam exegit. Lacrimis continuis, quotiens-

cumque Stanislai memoria in colloquium adduceretur, eas, quas ipsi intulerat, molestias abluebat. Morti proximus, beatum Stanislaum praesentem habuisse dicitur; cuius imaginem manu tenens, pie et sancte, ut creditur, obiit.

Attigisse hic sufficiet quospiam auctorum, quos in elencho a me tradito videre, si placebit, poteris, et non levem iniuriam tam domui catholicae religionis amantissimae Kostkarum, quam proxime nominato pientissimo viro intulisse censendi essent, quando aiunt: Paulum Stanislai germanum, dum Viennae commoraretur, a fide alienissimum fuisse; et Hilarion a Coste id de paedagogo affirmat; nisi ex contextu eorundem relationis ambiguitas appareret, an non potius id de fratre haeretici hospitis, Stanislaum in fuga insequentis, quam de religiosissimo viro Paulo intellegendum sit. Haec enim, quae tam hic quam in principio dicta sunt, et quidem ex authenticis iuramentis confirmatis scriptis et ex iis rationibus facile deducendis, contrariissima sunt.

Caput septimum

De gloria beati Stanislai in caelo a Deo post mortem ipsius diversimode manifestata.

Neque haec materia huic loco non consona; quoquo enim loco spectetur, donum Dei erit gloria et aeterna beatitudo, ad quam servos suos non admittere tantum, sed et evocare et assumere soleat.

Ea nocte, qua ad hanc beatus Stanislaus fuerat a Deo evocatus et ad triumphum Deiparae videndum assumptus est, ad domum professam uni sociorum, qui statuerat prima luce Stanislaum invisere, visus est semisomni alius frater, qui monuit frustra iturum ut viseret aegrotantem; iam Stanislaum esse in caelo; denuntiavitque horam qua solutus vinculis corporis evolarat. Commotus ea denuntiatione socius, altaeque cogitationi impressam retinens, ubi diluculo primo surrexit, trepide se dedit in viam; cumque vita functum sodalem amantissimum repperisset, cognita obitus hora, quod sibi praedictum fuerat plenus admiratione narravit.

Illud pariter animadversum est, cum Stanislaus multas ob causas merito esset omnibus unice carus magnaeque exspectationis, tamen perinde quasi non de beata eius vita solum certi essent, sed stillas ipse quasdam ex torrente superfundentis divinae voluptatis deiceret, magno omnes cum gaudio acerbitatem tulisse, illud certantes, ut quidpiam e pauculis rebus, quae sancto fratri usui fuerant, impetrarent, pro sacris pignoribus asservandum.

Sigismundo III rege Poloniae, Osmanus Turcarum imperator, immensis ex Europa, Asia et Africa contractis copiis, Tartarorum quoque principe, qui longe maiorem iusto ducebat exercitum, in societatem belli accito, non Poloniae tantum, sed universae christianae reipublicae excidium minitans, si antemurale illud christianitatis expugnasset, anno 1621 contra Poloniam movit, atque adeo prope fines regni sub Chocimo, duabus circiter leucis Cameneio distante, castra innumera multitudine refertissima (septingentorum millium et amplius capita censebantur) posuit. Eo militum pauca manu sub auspiciis et ductu Vladislai IV tum principis expedita, Sigismundo cum universa multitudine nobilium adventante, praelium exspectabatur. Sed cum piissimus princeps non in multitudine exercitus victoriam, sed de caelo fortitudinem esse sciret, ad Dei genetricis, sanctorum regni patronorum praesidia imploranda animum converterat, praecipuoque nomine paulo ante beatorum honoribus a Paulo V nobilitatum beatum Stanislaum, ut sibi patriaeque suae novus et recens miles patronusque de caelo adesset, invocabat. Eam in rem vota a regiis maiestatibus facta, ac cum in gravissimis tanti momenti rationibus ad Gregorium XV S. Pont. Achatium Grochowski, episcopum post Luceoriensem, virum insignis prudentiae et in rebus agendis dexteritatis, expedisset, inter cetera legationis contenta illud quoque commisit, ut omni conatu contenderet reliquiam capitis beati Stanislai secum in patriam (malis tantis quod clipeum opponeret, et post in basilica SS. Petri et Pauli, quam magno sumptu Cracoviae Societatis Iesu patribus aedificabat, collocaret) apportare. Quod ipse non minore felicitate quam congratulatione a Gregorio XV donum, ut regi et regno deferret, gratissimum consecutus. Eodem insuper tempore, publica horarum 40 supplicatio Romae in ecclesia S. Andreae montis Quirinalis, ubi B. Stanislai depositum requiescit, eiusdem magni pontificis auctoritate instituta; quam quotquot Polonorum degebant in Urbe, Vilnensi episcopo Volovicio praeeunte, omnes saccis induti, publica ibidem flagellatione fecere, beatum hunc iuvenem deprecantes, ut sui suorumque misertus irae sese peccatorum iusti vindicis Dei obiceret, ideo vocatus, regnum ut in tali tempore pacaretur.

Degebat tunc Calissii, in maioris Poloniae una ex nobilioribus civitate, Nicolaus Oborski S. I. sacerdos, religiosa disciplina et pietate in beatum Stanislaum celebris. Hic cum ad totius regni postulata et preces suas quoque ferventissimo spiritu adiecisset, diviniore lumine illustratus intus, dum medium silentium tenerent omnia noxque in suo cursu iter perageret, eiusmodi nocturnam visionem in caelestium nubium sereno spectavit.

Currus erat duobus equis candidis iunctus, supra quem caeli Regina parvulum Iesum in sinu tenens considebat. E regione, flexis popli-

tibus, iunctis ante pectus manibus, vestitu splendidissimo, supplicans et orans pro patria beatus Stanislaus videbatur. Ab occidente orientem versus currus ille, nemine impellente aut regente equos, graviter, sed et nihilominus festine, procedebat. Via tota aeris ad septentrionalem usque plagam extensa tractu lucidissima undequaque, et ipse lumine glorioso candidoque vestitu coruscabat currus, ut iam tunc quasi triumphalis post profligandos hostes beato iuveni pararetur. Toto illo itinere, quo ibant pulcherrimi illi viatores, infantulus e gremio matris sanctissimae vultu hilari manibusque adblandiens, illi, quod petebatur a Stanislao, annuebat. Sed non sine bono optatoque eventu; nam, ut compertum postea est, eo die, qui in 10 octobris incidit, hostis superatus est et ad pacem condicionesque petendas coactus, multa suorum strage, primus retro castra inglorius movit, nil nisi infamiam et dedecus ex Polonia, quam subactam putabat, referens. Hic et illud probatum, quod eo ipso tempore, quo caput beati Roma a summo Pontifice, ut est dictum, missum, fines regni attigit, inimicus abscessit, ut facile conici posset animam illam beatissimam, quae in caelis divino matrisque sanctissimo conspectu gaudens una cum illis triumphabat, suum caput sollicite secutam, quasi columbam ad Noe arcam, unde egressa fuerat, in patriam gentemque suam ramum olivae pacisque ac victoriae attulisse. Dies haec universo regno memorabilis et festiva; nam, sede apostolica approbante, sollemni officio gratiarum actionis obitur, publicaeque cum sanctorum litaniis instituuntur processiones a clero. Sigismundus rex, ut gratiarum actionem persolveret, non prius Leopoli movit, quam beati imaginem veneratus prosequendo ibidem itineri benedictionem accepisset.

Nec id adeo sollemnis spectaculi uni huic solum ostensum a Deo est, quantamque in caelo haberet gloriam, qui et talia obtineret et tali in loco collocaretur, quasi pro itinerum deliciis monstratum. Sed id ipsum plurimi milites, tunc in castris constituti, se conspexisse rettulerunt, Deum, qui talem potestatem et honorem dedit suo sanguini, in caelo glorificantes. Et quidam alius templum quoddam, dum peregrinaretur ad castra, ingressus, excitato turbine percussus et exanimatus, inter sanctorum patronorum Poloniae Adalberti et Stanislai praesulum, Floriani et Georgii martyrum et Casimiri societatem, beatum Stanislaum Kostkam Virgini augustissimae pro patria supplicantem, ut a Turcarum imminentium iugo liberaretur, conspexit. Quod cum Dei genetrix filio proposuisset, audiit Polonos quidem iugo paganorum immunes fore, nihilominus peste ab ipsa Cracovia metropoli per totum usque regnum vagata perdendos; quod eventus comprobavit.

Grassante itaque ubique peste anno 1622, cum, quo quis poterat, salvandi semetipsum securiora tutioraque loca peteret, religiosi

quoque ex suis excedentes monasteriis, pagos villasque inhabitabant; quorum unus ordinis S. Francisci de Observantia, Melchior Prasecki, in spirituale eiusdem ordinis monialium obsequium in Villam Prodzisko ex Prevorscensi conventu secedens, ubi se securum arbitrabatur, in malum grave contagionis pestiferae incidit, quam ex audita confessione unius de sua religione ultra omnem suspicionem eo morbo laborantis hausit, magnis ac malignis correptus febribus, apostematibus ceterisque malae causae peioribus effectibus sauciatus, ac iam desperabundus, cum conscientiam cuperet expiare mentemque ad id colligeret, imo et intimo corde beati Stanislai spem invocare incipit: *Visus sum*, inquit, *mihi interea dormitasse, et ecce pretiosum peristroma extentum in eoque insigne sancti Bernardini IHS argento ductili elegantissime elaboratum attonitus conspicio, vocemque eiusmodi audio: " Multos licet invocares, porro unius electi patroni B. Stanislai Kostka patrocinio a peste praeservaris. „ Tum experrectus, morbum quasi onus depositum corpore sentio, viribus revera valeo, surgo et statim gratias Deo omnipotenti et B. Stanislao die sequenti ad missarum circa altare beati celebrata sollemnia refero immortales; ubi multam et miram animae dulcedinem et corporis sensi refrigerium.* Anno 1623 Danieli Bonikowski ex S. Francisci Assisinatis ordine conventualium, Culmae in Prussia, litterarum alias ignaro, sed ob virtutes religiosas eximio, quod a sapientibus absconditum est, Pater caelestis revelavit Stanislai gloriam. Nocturna hic quiete, extasim potius dixeris, a mediae noctis silentio quinque durante horarum spatio, in meridionali caeli parte quasi in quadro Apocalypsis narrationi conformi, caelo clarissimo, Deum Patrem super solium luce magna circumfusum conspexit. Et primo quidem facies illi hilaris, sed mox irata; sublata tum dextera imperavit adstantibus angelis, ut descenderent in terras, vindictas de peccatoribus sumpturi, quas ob illorum scelera graviaque peccata ac potissimum horrendam superbiam, oppressionem pauperum iniustitiamque pati ac tolerare diutius non poterat; ut ita igne, virga, gladio, secundum iustum suum et divinum decretum, saevirent. Vidit haec assistens a dextris in vestitu deaurato circumdata varietate regina Mater misericordiae, et filium hisce compellavit: *Fili mi carissime, iram Patris tui, quam in totum mundum convertit, adverte. Recordare quaeso sanguinis, quo illos redemisti, quem effudisti de tuo sanctissimo corpore, cum quo dignatus es in meo requiescere utero. Recordare insuper uberum meorum, quibus te lactavi; sed et huius lilii in manu mea, quod mihi misit Dominus, ut facerem voluntatem eius* (et hoc quinque folia alba monstrabat). *Respice adhuc et preces meas; vide sanctissimas plagas vulnerum quinque tuorum, quas in cruce passus es propter populum tuum: miserere, ora Patrem tuum, ut iram contineat*

suam, ne forte boni simul cum malis intereant, qui sunt et laudabunt nos. His incitatus Dei filius in nubem lucidam descendit, positisque velut in horto Gethsemani genibus, orabat ad patrem: *Miserere, Pater, generi huic, iram tuam contine, memor quod passus sum pro illis et cum matre mea, et effudi sanguinem ad eorum abluenda peccata; emendari possunt, malitiam suam confiteri, doctrina piorum accedente.* Stabat vicinus solio quasi cubicularius quispiam B. Stanislaus Kostka; hunc sic alloquitur Deipara: *Et tu, serve sponsi mei, cur non oras Dominum tuum pro fratribus tuis, vitaeque probae hominibus, ac toto humano genere obdurati cordis?* Ad haec verba sanctus descendit in nubem cadensque super genua, Christi genibus inferior, ante maiestatem Patris aeterni se posuit, cum Pater aeternus imperat angelis: *Tenete servum meum.* Et ecce novem angeli tenuerunt sanctum, quattuor a sinistris, quattuor a dextris et unus ad genua, atque ita, oculis in Patrem aeternum intentis, omnes orabant. Post ardentem Christi servatoris beatissimae Virginis ac beati Stanislai orationem dedit Deus Dominus benedictionem suam sanctam, exauditis sanctis illorum precibus, et ait: *Ad vestras, fili mi care, et tuas, sponsa mea, et tuas, serve mi, preces, continebo iram meam magnam, modo emendare velint malitiam suam. Nihilominus tamen puniam illos, sed in misericordia, ut agnoscant, quales poenas meruerint.* His auditis adeo misericordibus verbis, angeli exierunt ex duodecim nubibus lucidis cum variis instrumentis musicis, una ex parte sex, sex ex altera, cantantes amoenissime psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes.*

Hanc adeo celebrem et effectu comprobatam visionem in universali, quae Petricoviae anno 1628 agebatur, provinciali synodo, dum pro canonizatione beati Stanislai supplicandum statueretur, Illmus et Rndmus D. Andreas Lipski, Vladislaviensis ac Pomeraniae episcopus, universo clero et episcopis ceterisque praelatis regni praesentibus in consessu rettulit, ut tanto ferventius id negotium tractaretur. Et ipsemet, cui haec revelarat, authenticis scripturis verbis, quibus rettuli, confirmavit.

Eodem anno 1623 cum misericordissime diversas regni Poloniae partes divina iustitia cum suis, ut decreverat, flagellis peragraret, pestisque non exiguam hominum partem absumeret, longe lateque per urbes grassata Leopolim, Russiae metropolim, ita atrociter divexabat, ut diffugientibus huc et illuc incolis, quasi inhabitata redderetur. Accessit et illud grave malum, quod, dilabentibus habitatoribus, urbis suburbia, quae a Cracovia nomen habent, gravi concepto incendio tam horrendo conflagrassent 27 augusti, ut flammae veluti nubes igneae urbem ipsam domosque, quae intra moenia claudebantur, impeterent, iamiam omnia in cineres favillasque coniecturae;

tanto vero periculosius, quod vicina incendio porta, quantaquanta fuerat, tormentariis pulveribus plena, non fovendo igni sed susque deque miscendis omnibus materia commodissima crederetur timereturque.

Interea cum sola spes remaneret in caelis, veluti cum coniectis in Babylonicam fornacem tribus illis viris circumquaque aestuarent arderentque omnia, una omnium vox votaque beato Stanislao pro urbis incolumitate offerebantur, cum ecce descendit angelicus iuvenis in medium ignis ardentis et excussit flammam, fecitque ventum roris flantem, nec permisit vel minimum quid attingi in urbe. Nam supra eandem portam, cui et a qua vel maxime timebatur, stetit, a copiosa multitudine hominum ex diversis etiam extra urbem locis et pagis clariore quam ignis lumine circumdatus conspectus, partim, quo operiebatur, pallium religiosum extendens igni ruenti in urbem et flammae opponebat, ut igneum illud mare non exundaret amplius ibique confringeret tumentes fluctus suos, partim in diversis locis provolutus in genua, sublatis in caelum manibus, velut alter orto in castris incendio Aaron *(Num. 16)* cum turibulo ac incenso, quod orationes sanctorum Iohannes ait in Apocalypsi, flammis se involvit: ardentissimi sui cordis coram igne consumente Deo effusione (non minus quam maioris accessu flammae minor ignis absumitur et exstinguitur) incendium exstinxit et ab urbe avertit; nam eo ipso puncto flammae turmatim in urbem conversae quasi vi quadam invisibili retusae retrocessere, vento eas recentissime exorto ab urbe retro pellente; ut tam insigni benignitate et gratia nomen ab illius urbis incolis et magistratu, qui illius imaginem in loco, quo ad publica iudicia convenire solet, cum hoc titulo gloriae conservat, *Servator urbis* promeruerit. Quod factum est in honorem iusti de Noe a diluvio aquarum conservante in paucis humanum genus (nos Stanislao a torrente flammarum urbem eripiente dicamus) iuste ac recte ait Chrysostomus: *Consuetudo enim misericordiae Dei est honorem hunc dare servis suis, ut propter eos salventur et alii. Salvantur propter illos, dum medii et mediatores inter Deum Filium eius et homines ad instar Moysis in confractione consistentis se ponunt, et cessat quassatio.*

Animam Iaroslaviae anno 1629 agebat Albertus Costinius annorum 13 iuvenis, condicione pauper, litteris infimae grammaticae studiosus, in eiusdem civitatis collegio, quod supra nobilissimae Costcarum familiae benignitate fundatum et ditatum dixi; sed pietate et innocentia tanta, ut post mortem ob sanctitatis opinionem quam suis virtutibus promeruerat, mortem quoque praedixerat, separato ab aliis tumulo conderetur, et hoc quidem, dum remissorialis inquisitio super miraculis ac vitae sanctitate nostri beati iuvenis institueretur in illa Premisleiensi dioecesi, octavo ascensionis dominicae die, quae 21 maii inciderat. Hic cum nocte diem nominatum praecedente moriturus

cerneretur, duo qui illi assistebant sui compatriotae de villa Stynwald dicta, Cracoviensis dioeceseos, iuvenes litanias beatissimae Virginis, ipso comitante et ad singula respondente, recitabant. Et ecce derepente a se et a sensibus alienatus et quasi in raptu quodam aut exstasi mentis, omnibus qui aderant exhalasse animam arbitrantibus, quadrantem horae circiter iacuit, et ad se mox rediens oculis blande in praesentes circumactis : *Perficite ergo,* ait, quasi memor, continuari interruptum litaniarum cursum praecipiens. Tum qui aderat unus interrogat : *Ubinam, Alberte, fuisti?* — *In caelo,* respondet ille. *At quid inibi,* pergit alter, *vidisti ?* — *Vidi beatissimam Virginem et beatum Stanislaum Kostkam,* inquit iste. Accepit ille imaginem beati, quam ut aegro solacio esset et auxilio, si se beato illam veneratus commendasset, unus illi sacerdos saecularis ex collegio submissam attulerat, pectorique infirmi applicans, ut cum fide : *Beate Stanislae, ora pro me* ter pronuntiaret, quod et fecerat aeger, constituerat, ostendit subiungitque: *Talemne beatum, qualis hic, vidisti?* — *Facie quidem talem, sed luce multo magis conspicuum; nam hic circa caput non nisi splendores apparent, ibi totus quantus splendidissimus lucet. Et illum ego beatum et vere beatum confiteor, fulgentemque sicut sol.* Quaesitus insuper, beatissima Mater Dei quomodo splendesceret. *Ut quinquies,* inquit, *immo infinities sol.* — *Quid vero tibi beatus Stanislaus locutus ?* — *" Salve, carissime " sic me affatus est. Vultu iucundiore arrisit. Christus vero me conspicatus redire ad corpus et tribus supra cubitis elevato sole ad se venire iussit.* — *Quid autem Christus* (inter simplices mundi res colloquiumque agebatur), paterfamilias interiecit, *agit in caelo ?* Ad haec nescitur quo spiritu aeger, alias latini sermonis non bene gnarus, latine respondit : *Regnat in caelis et omnes angeli cum eo.* Tum aliquantum subticens : *Scribite,* inquit, *parentibus meis : Filius vester in octava Ascensionis defunctus est et ad caelum assumptus.* Cum autem intensos pati cerneretur dolores, apparebat enim virulentum aliquid illum vel in aquis vel quopiam alio sumpsisse cibo, intumescente pectore et stomacho, et compassione ducti astantes dicerent : *Vere intensissimos pateris dolores.* — *Hoc,* inquit, *caelum meum est.* — *Numquid vero si hosce non patereris, caelum non intrares?* — *Hoc dixi,* respondit, *et caelum meum non intrarem. Vidi et inferni poenas,* asserebat, *sed ob horrorem subticendum est.* Tum sacrum, quem sibi porrigi faciebat, cereum stringens, Iesu ac Mariae nomina invocans et *Beate Stanislae* ingemiscens placidissime in ea, qua dixerat, hora ex hac ad alteram vitam emigravit.

Morienti in Niesvisiensi collegio anno 1599 patri Stanislao Oborski Societatis Iesu, non minore familiae quam virtutis splendore nobilitato, gloriam beati Stanislai demonstratam gravissimus vir, qui morientis confessarius fuerat et ex ore ipsius moribundi acceperat, affirmat

triduo ante mortem una cum S. Ignatio invisentis et brevi sibi sociandum in illa caelesti societate praedicentis.

Hoc ipsum sibi evenisse testatur Stanislaus Wydzierzewski, Posnaniensis custos et Plocensis canonicus, dum anno 1621 in oppido Gornie in finibus Prussiae gravissimo correptus morbo et periculosissimo in sancti Ignatii et Francisci Xaverii comitatu a beato Stanislao, quorum singulare implorabat in ea infirmitate auxilium, die 16 martii hora tertia et media circiter noctis apparente, visitatus et de sanitate in crastinum recuperanda admonitus fuit hisce verbis: *Crastina die sanaberis;* prout illucescente die, una cum tenebris fugiente morbo, factum fuit.

Et Nicolaus Szulc ac Catharina coniuges, Leopolienses honoratissimi cives, quorum primus, dum infirmitate gravissima coniunx pressa iam fere animam ageret et ille ante beati Stanislai imaginem pro ea deprecaretur inibique oculis in eam fixis intuens quiescere sibi visus, vidit thronum gestatorium expositum, cui mire venerandae singularique personae insidenti iesuitico habitu iuvenis amictus, flexo aliquotiens genu quasi coram iudice quopiam, orabat, ac conversus Nicolaum affatur: *Ne timeas, coniunx tua vivet benedicetque vobis Dominus.* Illa quoque eadem visione beati eodemque tempore recreata, apparentibus sibi in somnis, quorum patrocinium invocabat, sancto Antonio Paduano ac beato Stanislao, ab uno illorum de futura sanitate admonita, qui induebatur pulla veste, ut Societatis homines solent, audivit: *Ne verearis, non morieris.* Atque ex nunc effectus secutus fugatae mortiferae malignitatis, stupescentibus medicis, anno 1616.

Et Catharina Tomicka anno 1619, quae cum ex continuo, quod a parentibus ad ineundum matrimonium reluctans cogeretur, maerore magnis infirmitatibus periculosisque morbis agitaretur, de templo de die rediens ac per viam oculis demissis orans opem beati imploraret, se illi videndum sanctus dedit, aspectu exhilaravit, levavit dolores, et ut suus confessarius adicit, allocutus: *Consurge ab ista infirmitate; ego enim oravi pro te cum Virgine sanctissima.*

Et Franciscus Wolsowicz iuvenis morbum periculosum anno decimo septimo aetatis, saeculi 1643, epilepsiae fluxusque continui ex venis sanguinis sex fere mensibus passus, annuntiationis beatissimae Deiparae die beatum Stanislaum visus est se videre sanitatemque, si se sibi commendasset eamque a se petisset, appromittere; quod ubi ille expergefactus fecit, morbus omnis abscessit. Redierat idem malum anno 1644, et Deus Stanislai gloriam manifestaturus rediit. Nam iterato beatus apparens monuit, ut die S. Barbarae virgini et martyri sacro se caelestibus mysteriis expiaret sacramque synaxim sumeret, sollicitus de ea taliter honoranda, quomodo ab ipsa fuerat, dum viveret, miraculosissime honoratus.

Concludo caput hoc ea, quam archiepiscopus Leopolitanus Armeni ritus, cum Romana catholicaque ecclesia unitus, ad beati Stanislai gloriam demonstrandam authentica et parata fide rettulit narrationem. Accedente ecclesiae catholicae archiepiscopo Leopoliensi Armeni ritus, Urbano VIII Pontifice maximo universam ecclesiam gubernante, secutae sunt oves, sed non omnes, pastorem suum. Nam multi iique fere praecipui Armeni illius urbis hac de causa contra archiepiscopum de recuperandis templis, quae ille univerat una secum ecclesiae Romanae, litem ante regium tribunal dixerant, constanter immo pertinaciter urgentes. Unus qui ceteris partim opibus partim doctrina ac, quod consequitur, auctoritate praestabat, eo capitaliorem hostem ipse schismaticus unioni cum ecclesia Romana se opponebat. Accidit, ut hic in gravissimum simul et periculosissimum morbum incideret, cum ecce illi se beatus Stanislaus stans ad beatissimam Dei genetricem videndum sistit supplicans, ut pientissima mater pertinacem admoneat, ut de ea malitia dimittat; quod quidem beatissima Deipara ad preces dilecti sui servi et filii Stanislai fecit, comminata, ni a promotione causae contra sacram unionem supersederet, morte pessima puniendum. Commotus ea visione infirmus vovet se contra sacram unionem nihil dicturum vel facturum, paucisque post diebus utramque salutem recipit, sanus et catholicus factus, et abhinc beato iuveni summopere semper devotus.

Caput octavum

De integritate corporis post mortem multis annis reperti et odoris fragrantia ex eodem emanante.

Integritatem et incorruptionem corporis, si sumatur simpliciter et absolute, naturae opus etiam in demortuis esse posse ait Scachus de canonizatione sanctorum. Si tamen sit eisdem adiuncta fragrantia et odor ex cadaveribus pie defunctorum emanans, ut supernaturale ille ait opus esse, ita divinitus in testificationem virtutis, sanctitatis ac virginitatis potissimum conservatae munus datum agnoscere nos necesse est in eo, cui datur. Atque adeo inter alia hoc quoque beati iuvenis Stanislai speciale donum est, quod et integritas corporis et fragrantissimus ex eo odor post mortem prodire compertus sit.

Observatam per multum tempus sanctam illam adversionem dixi, dum de opinione sanctitatis beati Stanislai post mortem loquerer, ut, si forte occurrisset quacumque de causa commune sepulcrum, in quo reconditus fuerat, aperiri, nullatenus in quo beatum hoc depositum

quiescebat, sarcophagus aperiretur. Multis post annis, flagitante Rudolpho Aquaviva, ut ibidem innui, cum unus ex fratribus de superiorum mandato sepulcro quendam nostrum vita functum inferens, aperuisset, ceteri vero extra cum accensis facibus, ut desideratas Stanislai reliquias in domestico sacello asservandas exciperent, exspectarent circa circum sepulcri ostium, ecce admirabundus de re non sperata, quam repperit, egreditur et exclamat: *Totus integer! Totus integer!* Inde praesentes qui aderant, cum divinam in sanctis suis adeo liberalem manum, quae non in caelo tantum animarum, sed et corporum puritatem in terra honoraret, efferrent, communi sensu concluserunt futurum, ut hic eventus quasi primus pro Stanislai canonizatione gradus seu verius incitamentum esset.

Neque solum incorruptione corporis honestavit servum suum Deus, sed cum mirae suavitatis odore de felicibus illis exuviis spirante. Anno 1602, quo a Clemente VIII titulo Beati primo decoratus fuerat Stanislaus in litteris apostolicis in forma brevis die 28 octobris sanctis apostolis Simoni et Iudae sacro, quem etiam ingressu Stanislai in tirocinium celebrem supra dixi, venit ad faciendum more sibi solito orationem ad sepulcrum Stanislai, quod tunc aliquantulum a terra fuerat elevatum, muro occlusum ad epistulae cornu servabatur, nobilis Polonus iuvenis annorum 26 circiter, Nicolaus Oborski, a virtute et fama, quibus tunc notus fuerat, apprime carus. Ibi postquam aliquantisper orasset abiturus ubi osculum lapidi sepulcrali imprimeret, quasi si lilio aut amoenisimo flori labia applicasset, et uti in tali occasione contingit, non leviter recreatus, iterum ac tertio figit oscula, ac amplius et amplius prae suavitatis gustu, ac post huc et illuc obversus vicinos explorat lapides ac loca, an simile quid redderent; sed cum solum de Stanislai sepulcro suavitatem spirare adverteret, plenus spirituali dulcedine et admiratione, quae diutius eum tenuit, non potuit contineri, quin statim ibidem in Sancto Andrea referret rem, ut sibi successerat, uni ex patribus prudentia virtuteque conspicuo. Qui dum primo difficilem se ad credendum demonstraret, ab ipso edoceri meritus est Deo. Ipsemet enim paulo post, dum sacrum missae sacrificium ad altare maius diceret, quod, ut dixi, prope sepulcrum situm fuerat, fragrantiam derepente extraordinariam, manifestam realemque, ut ita dicam, sensit. Unde, finito sacro missae sacrificio, cum idem et praefectus ecclesiae esset, ad examen causam deduxit, solliciteque sacristiano et sociis ac iis, quibus cura capellae retro maius altare sitae fuerat, interrogatis, nullum ab iis vel eo vel antecedenti die odoriferi floris liquoris aut fumi suppositum repperit. Atque adeo amplius investigando si sepulcro superpositum eiusmodi aliquid non esset, nullatenus repperit quicquam, idemque post affirmare solitus

erat fragrantiae illius suavitatem talem fuisse, quae non hominum sed divinam virtutem saperet. Nomen tamen suum, quis esset, typis prodi noluit, auctorem Franciscum Sachinum per litteras instanter admonens, quas ego legi, ut rem, sicut erat, miraculo plenam, non tamen se, quis esset, qui tam insolitum odorem sensisset, promulgaret (1). Accepi id pluries alias pluribus occurrisse, ut quotiescumque sepulcrum beati Stanislai accederent, toties odorem non huius terrae florum sed, ut aiebant, paradisi persentirent. Nomina etiam eorum habeo, descripta etiam non dubito in caelis, qui eiusdem incolarum fragrantiae participes facti fuerant, dum viverent in terra.

Idem contigisse refertur circa annum 1601 aut 2, cum sacra illa ossa exhumata novo ac nobiliore loco reponerentur. Pietate motus unus ex fratribus domus professae templi sacristianus, occasionem optimam ratus partem ossis secum auferens in sacrario recondiderat, cum ecce derepente sacrarium, tum templum, tum domus tota quasi ex odore unguenti repleretur. Compertum est postea ex sacrario emanare. Cumque a Claudio Aquaviva generali, praemisso diligenti examine, comperta res esset, sacrum illud os suo loco restitui iussum, odorque cessavit, quasi satis iam ante virtutum odoris reliquisset, dum vivus in eadem domo amoenissimus hic flosculus plantatus habitasset.

Contulit et mihi divina dispositio gratiam, cuius, quoad vita serviet, sicut immemor non ero, ita gratus pro condigno esse non potero, ut aperiri sacri illius depositi arcam, me praesente, contingeret ex ordinatione R. P. Pauli Olivae, vicarii tunc generalis, in praesentia R. P. Fuschi Italiae et R. P. Caroli de Noyelle Germaniae assistentium, R. P. Dominici Brumacii rectoris noviciatus, F. Dominici Morelli socii P. Vicarii et unius fratris ex noviciatu anno 1662, 4 septembris; repperimus non exiguum ossium sacri corporis numerum; quae dum ex sacrae Congregationis Rituum decreto a subdelegatis iudicibus eminentissimi Vicarii in decursu processus Romae facti super virtutibus et miraculis iuridice visitarentur, haec reperta sunt in arca et in processu authentice descripta, et quae partim omnibus nobis, partim postea aliquibus, tunc admiranda venerunt, fuere: 1^{mum} Ossa haec sacra in arca cypressina anno 1606, 8 septembris, post plures translationes in illum, ubi nunc visuntur, locum deposita, dum intueremur aliquantumque consideraremus, tenerrimum odorem spirabant, quem duo ex nobis se sensisse cum magna sua consolatione testati sunt in mea praesentia, idque non a cypresso provenientem, sed ex ipsorum ossium cumulo. 2um Supposita eisdem sacris reliquiis tela linea alba

(1) *Additamentum:* Pater ille ecclesiae praefectus fuit V. P. Nicolaus Lancicius, ut ex catalogo illius anni in Archivio servato patet.

tenuis ac gossypium adeo alba et recentia vidimus, quasi si nunc primum imposita fuissent; quod non sine magna admiratione suscepimus, cum a tanto tempore 56 annorum esse non potuerit naturaliter, ut inter ossium medium non coloris quidpiam deperderent. Aderat et affixa hisce insculpta litteris tabella aenea inaurata : *Ossa beati Stanislai Kostka.* Unde nil restabat dicere aliud quam illud benedictis hisce ossibus applicare suavissimoque huic flori partim quod dicebat de Iacobo Isaac: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,* partim quod gloriosus episcopus Nolae Paulinus divinissime cecinit de S. Felice ipso illius natalis die:

Praesidet ipse suis sacer ossibus, ossaque sancti
Corporis in tumulo non obsita pulvere mortis
Arcano aeternae, sed praedita semine vitae,
Vivificum spirant animae victricis odorem.

Et iam partis huius capitibus coronam imponat ea, quam a P. Iacobo Ienner Varsaviae habui ex libro manuscripto, de B. Stanislao Kostka P. Lancicii exhortatio.

Mirabilis Deus in sanctis suis.

Fuit mirabilis antequam natus esset, quia cum mater eum in utero gestaret, habuit in pectore suo expressum nomen Iesu virtute divina; quod audivi a Martino Baronio Polono, cui id matris confessarius narravit. Merabilis fuit in schola, tum quia ex ingenio parvo acquisivit ingenium ingens ope B. Virginis, tum quia visus est adhuc litteris dans operam Viennae caelestibus radiis habens faciem micantem, uti testis oculatus ex senatoria dignitate oriundus primarius ecclesiae cathedralis Cracoviensis praelatus D. Crasicius palam mea memoria praedicabat, et dixerat hoc domino Fabiano Konopacki, decano Posnaniensi et canonico Varmiensi, et is mihi. Mirabilis in sepulchro, quia in eo etsi humidissimo per multos annos fuit conservatum corpus eius integerrimum, quamvis non exenteratum fuit nec ullo liquore aut oleo aut re quapiam alia contra putredinem munitum. Quod ita innotuit: pater Rudolphus Aquaviva motus magna, quam habuit de beati Stanislai sanctitate, opinione, impetrata licentia, conatus est eius avellere caput a corpore pridem sepulto, et cum invenisset illud integrum et non potuisset illud avellere, desiit. Hoc narravit nobis in Polonia P. Wysocki.

(Continuabitur.)

LA LÉGENDE DE S. FLORUS

La livraison de juillet de l'excellente revue Annales du Midi *contient un article intitulé :* La légende de saint Florus, additions aux nouveaux bollandistes. *M. Boudet y relève avec vigueur, sur un ton très courtois du reste, les lacunes, extrêmement déplorables à son sens, qui ont fait pour lui, de notre commentaire sur saint Flour, publié dans le tome II de Novembre des* Acta Sanctorum, *" une véritable déception ". Nous y avons donné comme le plus ancien document connu sur l'histoire du saint, la légende qui se trouve dans le* Sanctoral *de Bernard Gui et pour toute preuve d'un culte plus ancien que cet écrivain, une charte du commencement du XI[e] siècle, qui attribue la possession de l'église de Saint-Flour à Odilon de Mercœur, abbé de Cluny. Or, M. Boudet cite une foule de pièces, — bulles de papes confirmant les possessions de l'abbaye de Cluny et où il est dit, à propos de l'église de Saint-Flour, que le corps du saint y repose, actes de donations, notices sur le prieuré de Saint-Flour, — toutes antérieures au temps de Bernard Gui. Trois ou quatre de ces pièces étaient déjà imprimées et nous aurions dû les connaître. Nous faisons volontiers notre* mea culpa *pour les avoir laissé échapper. Nous n'avons pas le même remords pour ce qui concerne les textes tirés du cartulaire inédit de Saint-Flour, qui n'est indiqué ni dans le* Catalogue général des Archives départementales *publié à Paris en 1847 par la Commission des archives départementales et communales, ni dans* Les Archives de l'histoire de France *publiées par MM. Ch.-V. Langlois et H. Stein en 1891, ni dans le* Wegweiser *de Oesterley. Nous nous regardons aussi comme très excusable de n'avoir pas connu les notes de Dom Estiennot renfermées dans le manuscrit latin 12766 de la bibliothèque nationale de Paris.*

Notre compte personnel ainsi réglé, occupons-nous des renseignements nouveaux apportés par M. Boudet. Assurément, ils offrent de l'intérêt. Nous croyons devoir dire pourtant que M. Boudet en exagère singulièrement l'importance par des conclusions qui nous semblent tout à fait inadmissibles.

Ainsi, dans la bulle donnée par Grégoire V (996-999), — c'est la plus ancienne des pièces apportées par M. Boudet, — le pontife " maintient Cluny dans la possession du petit monastère d'Auvergne où repose saint Florus : Cellam quoque in ipso comitatu Arvernensi sitam

ubi requiescit sanctus Florus... „ *Dans la longue nomenclature des églises de la bulle de Grégoire V, Florus est le seul saint dont le Souverain Pontife ait jugé utile de localiser le tombeau. Il s'agissait donc, conclut M. Boudet, d'un saint en vue, d'un personnage sacré dont la mémoire était particulièrement chère à l'ancienne église, et non d'un de ces saints purement locaux dont la notoriété ne dépassait guère les limites du canton témoin de leurs vertus* „. (Annales du Midi, *livr. citée, p. 259). Nous avouons ne pas voir du tout la légitimité de cette conclusion. Ainsi que M. Boudet le fait remarquer très justement à la page suivante* (ibid., *p. 260), c'est à la requête et en faveur des abbés de Cluny que les bulles où le monastère de Saint-Flour est mentionné, ont été fulminées; on peut ajouter sans témérité aucune qu'elles ont été rédigées d'après les renseignements fournis par ces mêmes abbés. Ceux-ci affirmaient que le corps de saint Flour reposait dans l'église du monastère. La chancellerie romaine répète cette affirmation. Comment suit-il de là que le culte du saint dépassait les limites du canton où se trouvait son église?*

